MEMORIAM ANNIVERSARIAM

DEDICATAE

ANTE HOS CCLXXXXIIII ANNOS

SCHOLAE REGIAE AFRANAE

D. III. IUL. CIƆIƆCCCXXXVII.

H. L. Q. C.

PIE CELEBRANDAM

INDICIT

DETLAUS CAROLUS GUILIELMUS BAUMGARTEN-CRUSIUS,
ILLUSTRIS AFRANEI RECTOR ET PROFESSOR I.

Praemittitur
IO. THEOPH. KREYSSIGII Meletematum criticorum Specimen II,
quo Iusti Lipsii Adnotationes ad T. Livii Lib. XXI. in bibliotheca
Guelpherbytana repertae continentur.

MISENAE,
EX OFFICINA MAURITII CHRISTIANI KLINKICHTII.

1837

Restitanti mihi ac tergiversanti nuper imposita scribendi necessitate, ut extraordinario eoque gratuito muneris officio functurus aliquid saltem de meo in commune conferrem, secundum Meletematum criticorum specimen [1]), quod Iusti Lipsii, viri ob praeclaram eruditionem atque doctrinam immortalitatis memoria prosequendi, Adnotationes ad T. Livii Lib. XXI. ab Eberto in bibliotheca Guelpherbytana repertas et abhinc quinquennium ultro mihi oblatas [2]) complecteretur, in gratiam eorum, qui criticis eiusmodi adnotatiunculis oblectantur, emittere placuit. In quo quidem labore quanta maxima possem diligentia perficiendo egregie me adiuvit Schoenemannus, bibliothecae Guelpherbytanae praefectus, cuius benevolentia plane singulari hoc sum consecutus, ut, transmisso ad me libello, ex quo Ebertus olim, quum bibliothecam Guelpherbytanam tractaret, Lipsii adnotationes descripsit, meis omnia oculis, id quod in eiusmodi rebus plurimum prodesse, usu atque experientia cognovi, attente perlustrare et, ut leviora mittam, alia addere, alia corrigere possem. Atque Ebertus ipse, de ineditis hisce Lipsii adnotationibus, quae varias, quas vocant, lectiones ex codicibus enotatas et locorum depravatorum emendationes continent, ab Alb. Pyndenio, qui Lipsio Livium interpretanti operam dedisse videtur, a. 1589. calamo exceptis, in literis ad me datis disseruit hunc in modum:

„Ohne Zweifel rühren die hier bemerkten Varianten und Emendationen aus Vorlesungen des *Iustus Lipsius* her. Unter den Conjecturen befinden sich mehrere, welche später *Phil. Rubenius* als die seinigen gegeben hat."

„Es werden in diesen Anmerkungen unterschieden: 1) *Libri veteres*, XI, 10. XXXIV, 4. LIV, 9. — 2) *Libri manuscripti*, X, 11. Wahrscheinlich die folgenden *libri mss. Lipsii.* — 3) *Duo libri mss. Lipsii*, XXVII, 8. XXXIII, 6. Wahrscheinlich auch LXII, 4. — 4) *Optimus Lipsii codex Cuiacianus*, XXXIII, 6. LX, 7. Wahrscheinlich auch LXII, 4. — 5) *Aliter* [3]) oder *Alii.* — 6) *Emendationes Lipsii*, V, 16. XVIII, 4. XXXIV, 9. LII, 6. LVII, 5. LVIII, 8. LXI, 4. LXII, 5. — 7) *Emendationes anonymae*, ubi dicitur „delendum aut legendum esse," quas et ipsas Lipsio tribuerim."

„*Num.* 4. ist einer nähern Untersuchung werth. Der *Cuiacianus Lipsii* heisst bey Drakenborch (VII, 324.) *Lovelianus primus.* Beyde aber weichen, wie diese Anmerkungen

1) Primum Meletematum criticorum specimen, in quo locus Liv. XLV. cap. 27. et 28. de L. Aemilii Paulli itinere per Graeciam facto tractatur, simulque codicem Bambergensem in iis, quos continet, Livii libris a Franc. Goellero et Imm. Bekkero non ea, qua oporteret, cura ac diligentia excussum esse demonstratur, Misenae a. 1832. edidi.

2) Has penes me esse, et Lipsium Liv. XXI, 17. *eodem* in *eo dein* mutandum atque vocabulum *anno*, quod sequitur, delendum censuisse, dixi in Adnotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 70. sq.

3) Hoc vocabulo Pyndenius in proferendis sive codicum sive editionum lectionibus nusquam usus est, sed ubique *alii* posuit.

1 *.

zeigen, von einander ab. So hat XXI, 33, 6. der *Cuiacianus* hier *discessionis* (welche Lesart einen paläographischen Grund für sich hat), der *Lovelianus* aber *dissessionibus*, wie denn überhaupt keiner der von Drakenborch angeführten Codd. *discessionis* hat. LX, 7. hat der *Cuiacianus: cum aliquot principiis.* Aber *Cod. Lovelianus primus* hat *cum aliquot principibus.* LXII, 4. hat der *tertius optimus* (also wohl *Cuiac.*) *hostium*; aber alle Codd. Drakenborchs haben *hostiam.* Der *Cuiacianus* und *Lovelianus* 1. müssen also wohl von einander verschieden seyn. Ich habe mir grosse Mühe gegeben, die Provenienz der verschiedenen Codd. des Livius auszumitteln, ohne zu einem Resultat zu gelangen."

„Im Iahre 1722 kam Lipsius handschriftlicher Nachlass im Haag unter den Hammer des Auctionators. Er ist in der *Bibliotheca Petaviana et Mansartiana* (*à la Haye* 1722, 8.) S. 431—454 unter der Ueberschrift: *Museum Lipsianum*, verzeichnet, und der glückliche Zufall, der mir von diesem an sich schon wichtigen Katalog noch obendrein ein Exemplar mit den Verkaufspreisen zukommen liess, setzt mich in den Stand, genauer anzugeben, was Lipsius für den Livius besass. Es ist Folgendes:"

„P. 433. no. 184. *Livii historiarum libri X priores. MS. in charta, vetusto satis charactere, in folio.* — 17 Holl. fl. Ist bey Drakenborch *Leidensis secundus* p. 323."

„P. 435. no. 194. *Livii decades prima et tertia. MS. nitidissimum in membrana, scriptum a.* 1464.[4]) — *In eodem volumine: Decas prima: sed plurima desunt etiam in principio primi libri; finitur hoc MS. cum parte dimidia fere libri decimi: primus liber autem et secundus mutili sunt: tertius et quartus integri: plura desunt in libro quinto et sexto: VII, VIII et IX sunt integri, decimusque etiam est mutilus. In folio magno.* — 76 Holl. fl. Ist der *Havercampianus* p. 321. *Drakenb.*"

„P. 451. no. 287. *Livii liber I. Antw., Plantinus,* 1579, 8. *liber II. Par., Wechel,* 1534, 8. *liber III. Lovanii,* 1545, 4. *cum permultis I. Lipsii notis mss.*"

„P. 451. no. 288. *Livii decadis tertiae liber I. Par., ap. Vascosanum,* 1543, 4. *decadis III. lib. II. Antw., Plantinus,* 1589, 4. *cum quam plurimis I. Lipsii notis mss.* — Diese beyden letzten Nummern wurden mit seinen sämmtlichen collationirten gedruckten Büchern *en bloc* für 62 Holl. fl. verkauft."

Haec Ebertus quidem accurate, ut solebat, ad me perscripsit. Iuvabit tamen, ut, quot et quos codices Lipsius ad Livium emendandum adhibuerit, certius definiatur, et cetera quoque in clariore, si fieri possit, luce collocentur, in haec omnia paullo diligentius inquisivisse. Quod dum facere adgredior, tanquam prologum inducere placet Drakenborchium, qui eos deinceps recensens, quorum in Livium notas adhuc in bibliothecis absconditas latere suspicio sit, Praefat. p. 60. „Inter hos, inquit, censendus etiam est Iustus Lipsius, qui post varias lectiones ad Livii librum primum anno 1579. editas, de quibus supra, quae Modius praestitit referens, breviter dixi, integrum Livium recensendi consilium cepit. Ea de re quum ad Pe-

4) Drakenborchius contra Tom. VII. p. 326. „Codex est recentissimus, inquit, cuius calci haec temporis nota adiecta est: *Finis. die* 24. *mensis Decembris* 1460."

trum Egmondum in Francia degentem retulisset, isque querenti, se ad consilium illud exsequendum Mstis destitutum esse, respondisset, eorum non unum penes Cuiacium esse, et simul hortaretur, ut eos utendos accipiendi occasionem ac modum circumspiceret, pridie Idus Maias anni 1582. rescripsit, se visurum, et ad eum scripturum. Postea etiam mense Octobri eiusdem anni se epistolam ad Cuiacium misisse eidem Egmondo nunciavit. Vide Syllog. Epistol. Burmann. Tom. I. Epist. 52. et 53. Illa autem, quam se ad Cuiacium scripsisse retulit, epistola data est III. Nonas Octobres, et exstat in Lipsii Cent. I. Miscell. Epist. 67. in qua inter alia narrat, *se nescio quid in Livio nuper exorsum, quod perrecturus esset detexere, si auxilium sibi paullo firmius librorum: duos tresque apud se esse, sed quasi de compacto consentientes.* His Lipsii verbis permotus fuisse videtur Cuiacius, ut, quos habebat, Livii codices Mstos ad Lipsium mitteret. Forte autem inter illos fuit Lovelianus primus, de quo egi infra p. 324. cuiusque initio adscriptum erat, eum e Gallia in Belgium a Iacobo Cuiacio ad Iustum Lipsium dono missum esse. Certe Lipsius Nonis Octobribus anni sequentis 1583. ad Petrum Egmondum scripsit, *paullo magis*[5]) *duos menses esse, quum ad ipsum literas dederit, quibus significaret de Cuiacii Liviis receptis: eos sane diu in itinere haesisse, et tarde iisse per caerulas illas vias: venisse tamen, ac se sperare, usui fore in iis, quae paret.* Vide Syllog. Burm. Tom. I. Epist. 54. Binas etiam ea de re literas ad Cuiacium dedit, ut ipsi gratias ageret, easque fasciculo ad Egmondum misso inseruerat. Verum, Egmondo interim Romam profecto, epistolas ad Cuiacium non pervenisse, eumque de Liviis missis nihil audivisse, postea ex Bongarsio intellexit. Hinc Kalendis Iuliis anni 1584. tertiis literis se excusavit, ac petiit, ne vel animum ingratum, vel manum in officio exsequendo segnem fuisse existimaret. Vide ibid. Epist. 211. Ex illo tempore Lipsius Livium promittere, eumdemque amici ab eo postulare non desierunt. Anno 1587. Iano Lernutio nunciabat, se Livium daturum, *in quo nimia sibi bona.* Vide Centur. II. Miscell. Ep. 18.“ Bonus augur Drakenborchius fuit. Ab Eberto enim octoginta et quod excurrit annis post ex bibliothecae Guelpherbytanae pluteis protractae sunt Lipsii ad Livii librum vicesimum primum adnotationes, iis simillimae, quas libro primo a Lipsio subiectas primum Modius, deinde post alios Drakenborchius repetendas curavit, et frugis minime expertes. Quas quum ex codicibus, quorum alios Lipsius suo sibi aere comparasset, alios a Cuiacio muneris loco accepisset, petitas esse appareat, operae pretium fuerit docere, ex quibusnam potissimum codicibus sint derivatae. Ac primum quidem Lipsius ipse non solum ad cap. 33, 6. *optimum codicem Cuiacianum,* et ad cap. 60, 7. *librum optimum Cuiacianum* commemoravit, sed etiam, id quod Ebertus recte arbitratus est, eundem ad cap. 62, 4. *tertium optimum* nuncupavit,

5) Lipsium *magis* pro *plus* vel *amplius* posuisse miror ac paene indignor. Nam sic Latinos non loqui constat. Cic. Epp. ad Div. XIII, 29. *sed non plus duobus an tribus mensibus*, et pro Rosc. Com. cap. 3. *Amplius sunt sex menses.* Vid. Ruddimanni Instit. Gramm. Lat. Part. II. p. 294. sq. ibique Stallbaum. de Cic. pro Rosc. Amer. cap. 14. *annos natus magis quadraginta*, ubi Klotzius pro *magis* recte *maior* reposuit, et Grysari Art. Latine scribendi p. 488. sqq. Ceterum Drakenborchius quoque in oratione obliqua perperam *significabat* et *parat* pro *significaret* et *paret* scripsit. Haec illis substitui.

atque praeterea, nisi coniectura fallor, ad cap. 34, 5. et cap. 54, 3. *libris veteribus optimis* adnumeravit. Neque Eberto concesserim, hunc codicem, quo Lipsium a Cuiacio donatum esse constat, diversum esse a Loveliano primo, ex quo Drakenborchius cap. 33, 6. *dissessionibus* pro *discessionis*, cap. 60, 7. *principibus* pro *principiis*, et cap. 62, 4. *hostiam* pro *hostium* protulit. Praeterquam enim quod non probabile est, alium Cuiacii codicem a Lipsio *optimum* esse appellatum, atque permultae codicum lectiones in his adnotationibus ad cap. 34, 5. et cap. 54, 3. aliosque locos commemoratae in Lov. 1. reperiuntur, Drakenborchius primo et tertio loco, quum Lov. 4. *dissensionibus* offerat, et *hostiū* ab *hostiā* vix possit discerni, duplici errore lapsus esse, Pyndenius autem secundo, quum vocabulum *praesidiis* eius oculis obversaretur, perperam *principiis*, quod postea in cod. Put. aliisque inventum est, pro *principibus* posuisse videtur. Deinde huic codici Cuiaciano sive Loveliano, praeter recentissimum illum, qui post Lipsii mortem, id quod Ebertus supra docuit, Hagae Comitum divenditus et postea ab Havercampo in auctione bibliothecae Markianae redemptus *Havercampiani* nomen accepit, alios quoque accessisse, ex eo intelligitur, quod non solum alibi, priusquam codicis Cuiaciani copia fieret, sive codicis sive codicum lectiones a Lipsio proferuntur [6]), sed etiam ad cap. 27, 8. *liber unus manu scriptus I. Lipsii,* et ad cap. 33, 6. *duo libri manu scripti I. Lipsii* a Cuiaciano diversi, atque ad cap. 41, 8. *duo libri manu scripti* cum *altero,* id est *tertio,* ad cap. 62, 4. *duo libri manu scripti* cum *tertio optimo,* id est *Cuiaciano,* et ad cap. 63, 15. *libri tres manu scripti,* quos et ipsos Lipsianos esse crediderim, in his Lipsii adnotationibus commemorantur. Quid, quod numerus quoque codicum Lipsianorum iniri posse videtur. Ex eo enim, quod primum cap. 27, 8. in uno Lipsii codice a Lov. 1. et Hav. diverso *praeter,* quod Sigonio placuit, pro *propter* legitur, deinde cap. 33, 6. pro vulgato *dissonis,* quod in Hav. reperitur, duobus Lipsii codicibus *discentionis,* Cuiaciano autem sive Lov. 1. *discessionis* tribuitur, tum cap. 41, 8. duo codices, quos Lov. 1. et Hav. esse suspicor, vulgatum *patremque* offerunt, alteri autem sive potius tertio *parentemque* adsignatur, deinde cap. 62, 4. pro *hastam* in duobus codicibus, quorum alterum Hav. esse arbitror, *hostiam* reperitur, tertio optimo autem, id est Cuiaciano sive Lov. 1., *hostium* tribuitur, denique cap. 63, 15. tres codices voculam *iam,* quae in Lov. 1. et Hav. ceterisque omittitur, non habere dicuntur, recte, opinor, colligas, Lipsium nimia sibi in Livio bona esse praedicantem quattuor certe codices, Cuiacianum dico sive Lovelianum, quo in primo Livii libro recensendo uti non poterat, Havercampianum et duos alios ab utroque diversos, primo et vicesimo Livii libro emendando adhibuisse. Atque hos ipsos codices sive universos, sive singulos per notas *vet. lib. manusc.* et *lib. manusc.* sive *lib. manuscripti, vet. manusc.* et *vet. lib.* sive *lib. vet.* atque vocabulis *vet.* sive *veteres,* quod in adnotationibus ad cap. 33, 3. ubi *vet. omnes* legitur, cap. 44, 7. cap. 49, 7. et cap.

6) Praeter enim quam quod Lipsius Epp. Cent. I. Miscell. ep. 67. ad Cuiacium scripsit, *duos tresque apud se esse codices, sed quasi de compacto consentientes,* praeterea in quinque Epistolicarum Quaestionum libris et alibi saepissime lectiones ex codicibus manu scriptis enotatas protulit. Vide, quae infra ad cap. 38, 6. et 9. cap. 45, 1. cap. 46, 10. cap. 51, 5. cap. 52, 10. cap. 54, 3. et cap. 62, 11. adnotavimus.

52, 2. reperitur, et *alii,* quod saepissime usurpatur, a Lipsio significari, aliquoties tamen codicum lectiones sine his notis proferri, uti perquam probabile est, ita nemo facile expediet, quinam potissimum codices significentur; praesertim quum Lipsius editionum quoque antiquarum lectionibus atque editorum coniecturis vocabulum *alii* praemisisse videatur. Nihilo secius tamen in lucro ponendum, quod non solum lectiones in codicibus Lov. 1. et Rav. non repertae, veluti cap. 6, 2. *quibus cum adesset,* cap. 8, 4. *multifaria* sive potius *multifariam,* cap. 27, 4. *edocent,* cap. 28, 3. *vi* et *premente acie,* cap. 37, 2. *muniendam,* ibid. 4. *iumentis prope fame absumptis,* cap. 41, 8. *parentemque,* cap. 44, 3. *quam hostis,* quae verba vulgo omittuntur, cap. 54, 1. *equiti quoque tegendo,* cap. 58, 8. *iuga* aliaeque, sed etiam lectiones a Drakenborchio non commemoratae, veluti cap. 9, 4. *porro* sive potius *po. ro.,* id est *populo Romano,* cap. 10, 11. *odi atque etiam obtestor,* cap. 19, 9. *inverecundia,* cap. 20, 7. *Massaliam,* cap. 23, 6. *ipsos* et *militiam,* cap. 27, 8. *praeter,* cap. 28, 11. *trepidationem aliquantam,* cap. 33, 7. *et turba* sive potius *e turba,* et *deiecerunt,* cap. 36, 6. *tabem,* ibid. 8. *connitendo,* cap. 37, 5. *et iam,* cap. 49, 3. *Messena* aliaeque ex Lipsii codicibus proferuntur. His accedunt plures aliae lectiones sive ex iisdem codicibus enotatae, sive a Lipsio coniectura repertae, veluti cap. 8, 2. *cohortum* sive potius *coortum,* cap. 34, 1. *montanos,* ibid. 8. *reliquum erat,* cap. 36, 8. *secabant,* cap. 44, 4. *accendat, stimulet* et *dolor iniuriae,* cap. 52, 11. *sequente,* cap. 56, 1. *a media acie,* cap. 57, 6. *expugnandi,* cap. 60, 5. *Hannoni cis Iberum provincia erat,* cap. 61, 6. *toto cis Iberum agro cedit,* cap. 63, 3. *senatorius* aliaeque, et Lipsii ipsius emendationes, veluti cap. 5, 9. *praeducto,* ibid. 16. *regressus,* cap. 10, 6. *hinc,* cap. 17, 9. *eo dein,* cap. 18, 4. *praeceps,* ibid. 8. *non iam,* cap. 32, 2. *ad mare ac naves,* cap. 34, 9, *concursantes* vel *cursantes,* cap. 35, 4. *calles,* cap. 40, 9. *umbrae,* omisso *hominum,* cap. 46, 10. *Servium,* cap. 52, 6. *consules,* cap. 58, 8. *levatis* aliaeque a Drakenborchio non commemoratae. Praeterea Phil. Rubenium, Petri Paulli, pictoris celeberrimi, fratrem et Alberti patruum, cuius coniecturas in duobus Electorum libris Antverpiae a. 1608. editis propositas Drakenborchius ad cap. 10, 1. et 2. cap. 40, 7. et 9. cap. 43, 18. cap. 45, 3. et cap. 62, 8. protulit, locupletissima Lipsii, doctoris et hospitis sui [7]), a. 1606. rebus humanis erepti scrinia compilasse, et plagii, foedissimi criminis, reum peragendum esse, nunc demum, interiecto duorum amplius saeculorum intervallo, ex his ipsis Lipsii adnotationibus apparuit.

Quoniam, quales sint Lipsii ad primum et vicesimum Livii librum adnotationes a Pyndenio perspicue admodum, sed parum accurate [8]) exscriptae, satis est dictum; restat, ut, quam rationem in hac lectionum ex Lipsii codicibus enotatarum et coniecturarum ab eius-

7) Cf. I. Lipsii epistolam Guil. Richardoto et Phil. Rubenio inscriptam atque Phil. Rubenii *Carmen apobaterion et eucharisticum ad Iustum Lipsium, doctorem et hospitem suum,* quae duobus Electorum libris p. 96. sqq. adiecta sunt.

8) De variis erroribus, quorum vel manifesto convictus, vel maxime suspectus est Pyndenius, vide, quae ad cap. 7, 2. cap. 9, 4. cap. 17, 3. cap. 20, 7. cap. 28, 3. cap. 30, 8. cap. 32, 2. et 7. cap. 33, 4. et 7. cap. 34, 5. et 7. cap. 35, 2. cap. 36, 7. cap. 37, 2. cap. 38, 6. cap. 39, 2. cap. 41, 8. cap. 43,

dem ingenio profectarum varietate, quae *Lipsii Excerpta* posthac nuncupanda *Pithoei Excerptis* accedit, apte digerenda et diligenter examinanda sim secutus, breviter exponam. Primum igitur ad exempli Guelpherbytani fidem, abs qua Ebertum aliquoties descivisse intellexi [9]), editionis Lugdunensis a. 1588. paratae et cum ed. Frob. a. 1535. ubique fere consentientis lectionibus subieci Lipsii adnotationes, quae ed. Paris. a. 1543. exemplari post Lipsii mortem divendito plenius haud dubie accuratiusque adscriptae erant. Deinde codicum Lov. 1. et Hav. aliorumque ab illis discrepantium nomina singulis lectionibus apposui, simulque, sicubi Lipsius, priusquam ipsi codice Cuiaciano sive Lov. 1. uti liceret, eas commemorasset, eius verba adieci, et, quid mihi videretur, pro re nata modo brevius, modo fusius dixi: iis autem lectionibus et coniecturis, quae a Drakenborchio non commemorantur, asterisci signum praefigendum curavi. Denique, ne quid in hac operis Liviani parte paullo diligentius pertractanda temere praetermitterem, non solum iustos interpretum commentarios ubique consului, sed etiam ex opusculis a Martinio, Vossio, Matthiaeo, Nyhoffio, Eichhoffio, Wolffio et Fabro conscriptis [10]), quum eiusmodi libelli, in bibliopolarum tabernis saepe frustra quaesiti, ad paucorum plerumque manus veniant, ea excerpsi, quae ad rem propositam pertinere viderentur. Quibus quidem omnibus si quid ad bonarum literarum studia, ab nostrae aetatis hominibus ad mercedem omnia et lucrum referentibus immerito contemni coepta, et excitanda et adiuvanda contulero, operae pretium fecisse existimabo.

11. cap. 44, 7. cap. 50, 10. cap. 51, 1. et 5. cap. 55, 2. cap. 58, 8. cap. 59, 7. cap. 60, 3. et 7. cap. 61, 6. et 8. cap. 62, 8. et cap. 63, 3. adnotavimus.

9) Ebertus enim, licet exemplo mecum communicato haec subscripserit: *Excerpsit iterumque contulit cum apographo F. A. Ebert m. Iunio* 1832. tamen Lipsii adnotationes ad cap. 27, 6. cap. 42, 2. cap. 43, 9. et cap. 61, 6. praetermisit atque ad cap. 30, 8. cap. 32, 2. cap. 34, 5. cap. 36, 6. et 7. cap. 38, 7. et 9. cap. 41, 8. cap. 43, 18. cap. 57, 7. cap. 59, 7. cap. 60, 3. cap. 61, 6. et 8. cap. 62, 8. et cap. 63, 9. parum accurate descripsit.

10) Horum libellorum titulos, ne paginarum numeri ubique essent addendi, hic adscribere placuit. 1) *G. H. Martinii Coniecturarum Livianarum Periculum I—III. Ratisbonae*, 1766—68. Nobis non nisi tertia harum coniecturarum particula uti licuit. — 2) *Aenderungen verschriebener Stellen im Livius, von I. H. Voss*, in Wiedeburgii *Humanistischem Magazin* Vol. III. Part. IV. p. 289—295. — 3) *Fr. Chr. Matthiae, Einige Anmerkungen zum XXI. Buche des Livius, vom* 1. *bis zum* 38. *Capitel. Worms*, 1793. Hunc libellum mihi comparare non potuisse, aegerrime fero. — 4) *Sam. Nyhoffii Diatribe critica in Livium*, Actt. literar. Societat. Rheno-Traiect. Tom. III. p. 194. sqq. et Tom. IV. p. 300. sqq. inclusa. — 5) *Nic. Godofr. Eichhoffii Animadversiones in T. Livii loca quaedam difficiliora. Part. I—III. Wetzlariae et Giessae*, 1803. 1807. et 1813. Primam particulam nancisci non potuimus. — 6) *Fr. C. Wolffii Observationes et Emendationes Livianae. Part. I. II. Flenopoli*, 1826. 27. Utrumque libellum auctor doctissimus benevole mecum communicavit. — 7) *Ern. Guil. Fabri Quaestionum Livianarum decas. Norimbergae*, 1834. Hunc quoque libellum auctoris eruditissimi benevolentiae acceptum refero.

„Invenitur in bibliotheca Guelpherbytana exemplum huius editionis: *T. Livii historiarum decadis tertiae liber primus. LB., ex off. Plantiniana, apud Franc. Raphelengium,* 1588, 8. ad cuius marginem notata sunt a manu sec. 16 ea, quae deinceps sequuntur. Exarata esse videntur manu Alberti Pynssenii [11]), qui a. 1589 hoc libro usus est. Quem codicem significet, nunquam clarius edocuit. Accommodavi autem numeros capitum et paragraphorum ad editionem Drakenborch.“

F. A. Ebert.

LIVII LIB. XXI.

Cap. IV, 6. *discriminata*] „melius *distcrminata*.“ Sic Hav. cum solo Ber. Cur hoc illi, quod codices plerique omnes offerunt, sit praeferendum, non perspicio. Utrumque eodem redit. — 8. *conserto*] „lib. vet. *confecto*.“ Idem post Sigonium, qui et ipse hanc lectionem ex *vet. lib.* protulit, Hearnius et Drakenborchius in aliis codicibus invenerunt: Vossius vulgato substituendum censuit. Non adsentior. Recte enim Bauerus: „Illud servandum. *Confecto* proelio omnes una decedunt; nec ibi gloriae ignominiaeque discrimen: at *conserto* semel proelio ad ultimum durare, id gloriosum.“

Cap. V, 3. *iungendoque*] „*iungendisque*.“ Hoc quoque, quod illi non praetulerim, vetus Sigonii liber aliique codices offerunt. — *9. *producto*] „*praeducto*. Tibul. et Caesar.“ Tibull. IV, 1, 83. *Qua deceat tutam castris praeducere fossam*, ubi in peioribus libris *producere* legitur. Caes. B. C. I, 27. *fossas transversas viis praeducit*, ubi olim male *perducit* edebatur. Utrumque locum Lipsius de Milit. Rom. V, 5. hanc in rem attulit. Praeterea vid. Oudendorp. ad Caes. B. G. VII, 46. et Rupert. ad Sil. Ital. X, 410. Invitis tamen codicibus ad unum omnibus, licet Tacitus quoque Annal. XIV, 32. scripserit: *neque fossam aut vallum praeduxerunt*, Lipsii coniectura per se quidem admodum probabilis non admittenda videtur; praesertim quum verbum *praeducere* apud Livium nusquam reperiatur. — *13. *Et ex parte*] „*Et* omittendum est.“ Hanc voculam in sola ed. Mog. omissam Drakenborchius omnium codicum auctoritate tuetur. Contrario librariorum errore Liv. XXXIII, 14. 36. et 39. vocabulum *ex* a praecedenti *et* interceptum est. Vide etiam, quae infra ad cap. 15, 2. adnotavi. — 14. *vel inermi equite*] „*ab* potius legendum.“ Imo *vel ab inermi equite*, quod Drakenborchius, praeeunte Crevierio, in orationis contextum admisit. Quod Lipsio placuit, postea in Lov. 3. et Ber. repertum est. Praeterea in Drakenborchii adnotatione

11) Ebertus in hoc nomine describendo erravit. Nam in chartula Guelpherbytano editionis Lugdunensis exemplo a bibliopego praefixa haec leguntur: „*VIRTUS NOBILITAT. Tota licet veteres exornent undiq; caerae Atria: Nobilitas sola est atq; unica virtus.* [Iuvenal. VIII, 19. sq.] *ΤΕΛΟΣ. Albertus Pyndenius, S.. nnhupellus. anno* 1589.“ Vocabulum autem, quo Pyndenii Batavi patria significatur, ita est inductum, ut prior eius particula prorsus erui nequeat. Certius est, homini ignoto non *Pynssenii*, ut Eberto literas *d* et *ſſ* confundenti videbatur, sed *Pyndenii* nomen fuisse.

pro *Crevier. tres* scribe *Crevier. unus.* — * 16. *ingressus*] „D. I. Lypsius emendat *regressus.*" Lipsius, quum unus Hav. cum editionibus Sigonio antiquioribus illud offerat, hoc haud dubie ex cod. Cuiac. sive Lov. 1. reponendum esse censuit.

Cap. VI, 2. *quos cum adisset*] „*quibus cum adesset*, lib. manus." Lov. 1. et Hav. *quibus quum adisset.* Lipsius igitur, nisi forte in Lov. 1. *adesset* reperiatur, veram huius loci scripturam in veteri Sigonii libro aliisque inventam ex alio codice protulit. — 8. *Q. Bebius*] „legendum *Q. Fabius.*" Sic Lov. 1. et Hav. aliique. Drakenborchius tamen recte censuit, librarios nomini minus noto *Baebius*, pro quo in ed. Lugd. perperam *Bebius* legitur, sibi notissimum *Fabius* supposuisse. — Ibid. *absisteretur*] „alii *abstineretur.*" Hoc postea Hearnio unus, Drakenborchio quattuor codices obtulerunt. Praestat vulgatum.

Cap. VII, *2. *Zacyntho*] „Stephanus *Zasunto.*" Quod quid sibi velit, me ignorare fateor. Stephanus enim Byzantinus pariter atque alii scriptores Graeci hanc insulam recte *Ζάκυνθον* appellavit. Forsitan haec Lipsii adnotatio, a Pyndenio haud dubie corrupta, pertinet ad praecedens *Saguntum*, quod ab eodem Stephano *Ζάκανθα, Ζάκυνθος* et *Σάγουντος* vocatur. Vid. Ukerti Geograph. Graec. et Rom. Tom. II. Part. I. p. 414. — *3. *seu maritimis*] „ista duo verba delenda sunt." Quo iure id fiat, exputare non possum. Saguntinos enim, quorum urbs haud procul a mari sita esset, maritimis quoque fructibus crevisse, nemo infitias ibit. — 7. *laboris*] „lib. manusc. *timoris.*" Sic Hav. cum aliis permultis. Vulgatum tamen Drakenborchius recte defendit.

Cap. VIII, 2. *obortum*] „*cohortum.*" Id est *coortum*, quod in Flor. Gud. et Cant. legitur. Liv. XXXIII, 21. *ingens in Hispania ulteriore coortum est bellum*, ubi in edd. Ald. et Frob. 1. 2. *cohortum est* reperitur. Lov. 1. et Hav. vulgatum servant. Utrumque recte dicitur. — 4. *multimoda arte*] „lib. manusc. *multifaria.*" Scribe *multifariā* sive *multifariam*, quod Drakenborchius lectioni *multimoda arte*, quam Lov. 1. et Hav. cum aliis offerunt, ex Flor. Gud. Cant. et uno Crev. recte substituit. Etiam Liv. XXXIII, 18. in cod. Bamb. atque edd. Mog. et Ald. *multifaria* legitur, omissa lineola pro litera *m* poni solita. — 5. *quassatae quoque*] „lib. manusc. *quassataeque.*" Sic Hav. cum aliis compluribus, quos Drakenborchius secutus est auctore Gronovio, qui similiter infra cap. 56. *additus quoque* in *additusque*, quod Bekkerus recepit, mutandum esse, verissime coniecit. — *12. *mitteretur*] „lib. manusc. legit *dimitteretur.*" Hoc ferri nequit. Lov. 1. et Hav. cum ceteris codicibus vulgatum recte tuentur. Paullo ante Bekkerus, quod mireris, cum aliis Livii editoribus retinuit insolitum illud *liniebantque*, quod Ernestius, qui mihi quoque olim imposuit, pro vulgari *linebantque* invito Drakenborchio invexerat. Talia furcis ex veterum libris sunt expellenda, ne tirones in errorem inducantur.

Cap. IX, 3. *effrenatarum*] „alii *efferatarum.*" Hoc Drakenborchius illi recte praetulit. — *4. *pro Romanis*] „lib. manuscripti habent *porro.*" Hanc codicum nescio quorum scripturam, in qua literis consignanda Pyndenius errasse videtur, ex *po. ro.*, id est *populo Romano*, quod Ant. Perizonius sive *gratificari Romanis*, in quod Vossius quoque incidit, sive *gratificari populo Romano* scribendum esse suspicatus certissima coniectura praecepit, subortam

esse apparet. Eo magis, quum Nyhoffii commentum: *pacificari pro Romanis*, nemo facile sit probaturus, non recepisse poenitet; praesertim quum Drakenborchius erroris originem dilucide explicuerit.

Cap. X, 1. *non*] „delendum illud verbum." Hanc Lipsii emendationem Phil. Rubenius Elect. I, 18. p. 22. mala fraude sibi vindicavit: Gruterus autem, quum antea *auditique non sunt* ederetur, negationem non solum in codicibus Palatinis, sed etiam in Hav. et Lov. 4. aliisque omissam et iam prius in ed. Ascens. aliisque inductam rursus recte sustulit. — 2. *cum assensu*] „*non assensum.*" Hoc quoque Lipsio ibidem sublegit Rubenius, quem Gronovius, Crevierius, Drakenborchius aliique secuti sunt. Walchius contra Emendatt. Liv. p. 78. „Revoca, inquit, cum Vossio antiquum *non adsensu;* quod, cum cetera probabiliter emendaret Rubenius, non debebat sollicitari. Exquisitior est illa constructionis varietas et scriptori impense adamata." In hanc sententiam a Rupertio quoque verbo pronuntiatam, licet Liv. III, 72. XXVI, 14. XLII, 43. et alibi *cum adsensu* legatur, Baumgarten-Crusius et Bekkerus, suppresso Walchii nomine, iuxta mecum discesserunt. Aliter quidem, sed minus feliciter, hunc locum emendare studuit Nyhoffius, qui *magis silentio, propter auctoritatem suam, quam adsensu audientium egit*, a Livio profectum esse suspicatus est; recte improbante Eichhoffio, qui et ipse vel *non cum adsensu*, vel *non adsensu* legendum esse existimavit, et, ut *adsensu* sine praepositione *cum* poni demonstraret, adscripsit locum Cic. de N. D. II, 2. *Qui potuisset adsensu omnium dicere Ennius* etc. Idem tamen perperam coll. Liv. XXXII, 22. per *adsensum* designari putavit *murmur* quoddam, edi solitum ab audientibus, quo favorem sive adsensum suum significarent. Hoc enim modo, verborum constructione non perspecta, totius loci sententia pervertitur. Similiter Tacit. Annal. IV, 41. interpretes haerent in verbis: *sublatisque inanibus vera potentia augere,* pro quo, quum *minui* praecedat, Rhenanus recte *augeri*, quod in ed. Ald. legitur, reponendum censuit. Quis autem, quaeso, non videt, *vera* neutrius esse generis et *inanibus* opponi? In Liv. XLV, 35. *Intacta invidia media sunt: ad summa ferme tendit*, nemo facile offendet. — *6. *hi tamen*] „*hinc.*" Haec Lipsii coniectura, quum *unde,* id quod Rupertius quoque non perspexit, idem quod *inde, unde* significet, admitti non potest. — Ibid. *repetuntur*] „*repetunt.*" Sic Lov. 1. et Hav. idemque in ed. Vascos. primum comparuit. Plerique codices *repetunt̃* sive *repetuntur* offerunt, sollemni librariorum aberratione, in codd. Vindob. et Bamb. aliisque frequentissima. In aliis subiungitur: *de re repetuntur*, in aliis: *de re queruntur*; in aliis exstat: *de re queruntur publica. publica fraus absit.* Quae quidem lectionis varietas effecit, ut Iac. Gronovius *res ex foedere repetunt; iure queruntur*, Nyhoffius autem *res ex foedere repetunt, de vi queruntur, licet publica fraus absit*, scribendum censeret. Neutrum tamen admittendum esse apparet. Quis enim tam hebes est, quin videat, verba *de re* esse partem extremam vocabuli *foedere*, cuius prima syllaba in versu praecedenti esset posita, atque alios librarios illa cum sequenti *repetuntur* iterasse, alios, doctiores scilicet, *queruntur* substituisse, alios vocabulum *publica*, quod semel scribendum esset, bis scripsisse? — 9. *verbis*] „lib. vet. *nobis.*" Sic Hav. cum Rec. Librarios peccasse manifestum est. — *11. *odi ac detestor*] „lib. manu-

scripti *odi atque etiam obtestor.*" Ex quibusnam codicibus Lipsius haec enotaverit, ad liquidum perduci non potest. Certius est, nihil quicquam esse novandum.

Cap. XI, *10. *ballistisque*] „vet. libri *Ballistrisque.*" Hic quoque librarios peccasse patet. De vera huius vocabuli scriptura vid. Schneideri Gramm. Lat. Part. I. Vol. II. p. 409.

Cap. XII, 4. *inconsciis*] „lib. manus. *insciis.*" Sic Hav. Iam Sigonius hoc illi, quod Drakenborchio, qui Lov. 1. *inconsiis* offerre perhibet, ex duarum lectionum, *insciis* et *consciis*, coniunctione natum esse videtur, recte substituit. — Ibid. *victore*] „alii *auctore.*" Sic Lov. 1. cum aliis permultis. Librarii per errorem lapsi sunt.

Cap. XIII, 7. *vestrorum*] „omittendum est." In Ber. *vestrorum*, in Lov. 4. *ac liberorum vestrorum* omittitur. Ceteri codices vulgatum recte servant.

Cap. XV, 2. *ex pretio*] „legendum *et.*" Imo *et ex pretio*, quod Gronovius, quum vocula *et* a sequenti *ex* intercepta esset, optime restituit. Quod Lipsio placuit, contrario librarii errore in solo Ber. reperitur. Vide, quae supra ad cap. 5, 13. adnotavi.

Cap. XVI, 5. *duce*] „lib. manus. *duci.*" Sic Lov. 1. et Hav. cum longe plurimis iisque optimis, quos Bekkerus auctore Crevierio ita secutus est, ut, hac lectione recepta, verba: *primum Hamilcare, deinde Hasdrubale, nunc Hannibale,* in iisdem codicibus omissa, tacite induceret. Praestat utique hunc locum ex Crevierii et Bekkeri sententia secando persanare, quam ex Vossii coniectura hunc in modum conformare: *Poenum hostem, veteranum trium et viginti annorum, militiae durissimae inter Hispanas gentes, semper victorem, primum Amilcare, deinde Asdrubale, nunc Annibale, duce acerrimo, adsuetum, recentem ab excidio opulentissimae urbis, Iberum transire.* Neque accesserim Wolffio de huius loci scriptura ita disserenti: „Post vocabulum *Hannibale* incisum pono, et *duci* pro *duce* lego. Quamquam enim Livius *adsuescere* nunc cum ablativo, nunc cum dativo coniungit, et Drakenborchius veri similius habet, *duci*, quam *duce* a manu librarii esse profectum, periodus tamen melius procedit, si *Hannibale* non a vocabulo *adsuetum*, sed *victorem* pendere putaveris, nec cum Gronovio *victorem* in *vincere* mutare necesse habes." Multo minus autem impetrare ab animo possum, ut adstipuler Doeringio, qui, quum ablativos, quos a participio *adsuetum* regi Drakenborchius, ipso Doeringio suffragante, ad Liv. XXXI, 35, 3. docuit, absolutos esse ratus haec olim adnotasset: „*adsuetum*, omissa re, cui adsuetus fuerit miles, durissimum videtur. An fuit: *armis adsuetum?*" a censore docto ac severo in Ephemerid. literar. Ienens. a. 1811. No. 19. p. 149. iure meritoque notatus est; nunc quoque, quum in recentissima editione coniecturam quidem vix hoc nomine dignam aboleverit, sed adnotationem ipsam repetierit, nota censoria non eximendus.

Cap. XVII, 3. *sociorum*] „lib. vet. *socium.*" Haec Lipsii adnotatio referenda videtur ad praecedentia, ubi Gronovius, ut ipse ad Liv. XXII, 22, 5. testatur, pro *sociorum*, quod antea edebatur, ex suis codicibus dedit *socium*, quod in Lov. 1. et Hav. aliisque compluribus reperitur. — *Ibid. *quinqueremes*] „alii *longae.*" Sic infra: *naves longae centum sexaginta, celoces duodecim.* Codices tamen ad unum omnes vulgatum tuentur. — 5. *ea*] „*eae.*" Hoc ipsum, quod Gronovio quoque et Crevierio placuit, Lipsius etiam de Milit. Rom. II, 5.

vulgato praetulit, et Rupertius post Clericum recepit: Doeringius autem in id audaciae, ne quid gravius dicam, progressus est, ut pro *ea* vel *eae*, quis credat? *singulae* scribendum esse opinaretur. Contra Baumgarten - Crusius Lipsii et Gronovii coniecturam refutaturus verissime: „At, inquit, ita sequi deberet *habebant*, non *erant*, quod Gronovium non fugit. Res salva est, nec quicquam mutandum." Similiter enim Liv. XXXIII, 1. *ea duo milia militum erant*, ubi Drakenborchius perperam *ii* pro *ea* reponendum esse coniecit, in parenthesi adduntur, et cap. 4. de Macedonum phalange: *Decem et sex milia militum haec fuere, robur omne virium eius regni*, quod pro vulgato *et regni* in cod. Bamb. reperiri Melet. crit. Spec. I. p. 13. monui. Vid. Iac. Perizon. ad Liv. XXVI, 28, 4. et locis ibi citatis adde Liv. XXIII, 35. XXVIII, 14. XXIX, 31. XXX, 33. atque praeterea cf. Ruddimanni Instit. Gramm. Lat. Part. II. p. 21. Paullo post iam Lallemandus, quem secutus sum, ex Crevierii et Drakenborchii emendatione scripsit *treceni* pro *trecenti*, quod etiam in ed. Ascens. exemplo, in bibliotheca scholae Afranae adservato, ab antiqua manu in illud est mutatum. — *9. *eodem anno*] „*eo dein.* — *anno* delendum." Similiter Lipsius Liv. I, 5. *eodem*, cui *eo demum* ex Drakenborchii aliorumque sententia substituimus, in *eo dein* mutandum esse censuit. Wolffius et Gronovio *eodem* in *nondum*, quod Bekkerus recepit, coniecturae ope mutanti, et Heusingero vocabulum *versa* ad Romanorum copias referenti adversatus de huius loci scriptura, vereor ut recte, exposuit hunc in modum: „Equidem post vocabula *provincia* et *bellum* incisis interpungendum et *eodem* in *eadem* mutandum esse suspicor, atque *eadem versa in Punicum bellum* interpretor *quae eadem, quae et ipsa* (quemadmodum Italia et Hispania) *ad Punicum bellum animum adverterat, quae et ipsa se mox belli sedem futuram suspicabatur.*" Haec iis addas, quae in Adnotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 70. sq. de hoc loco dixi, atque cum locis Liv. XXXVII, 19. et XLII, 47. ibidem tractatis conferas velim XXIII, 34. *eodem ad Iunonis Laciniae, ubi navis occulta in statione erat, perveniunt.*

Cap. XVIII, *4. *princeps*] „*praeceps* D. I. Lypsius emendat." Lipsius igitur, quum Lov. 1. et Hav. *princeps* offerant, germanam huius loci scripturam a Gronovio ex editione principe et codicibus optimis restitutam atque a Crevierio pariter ac Drakenborchio receptam sive in alio codice reperisse, sive palmaria coniectura adsecutus esse videtur. — Ibid. *Vana*] „*vestra*." Sic Lov. 1. et Hav. aliique complures. Hoc quoque Gronovius ex editionibus Ascensiana antiquioribus revocavit. — 7. *nostro*] „addendum *quid*." Flor. et Cant. *quid nostro aut suo fecerit arbitrio.* Neque tamen, quum verba: *nostro, an suo fecerit arbitrio*, respondeant et praecedentibus: *privato publicone consilio Saguntum oppugnatum sit*, et sequentibus: *licueritne per foedus fieri*, admitti potest additamentum ab huius loci sententia prorsus alienum. Quod si secus esset, vel *aut* pro *an* ponendum, vel *quid nostro, quid suo fecerit arbitrio*, scribendum foret, ut infra: *quid publico consilio, quid sua sponte imperatores faciant.* — *8. *quoniam*] „legendum *non iam*." Lipsius igitur, quum librarios *n̄ iā* in *q̄m* sive *quō* mutasse non probabile sit, verba *itaq; non iam* in *itaq; quoniam* abiisse existimavit. Cur tamen a vulgato, quod sequentia aperte requirunt, sit discedendum, non perspicio.

Cap. XIX, *9. *verecundia*] „lib. manusc. *inverecundia*.“ Hoc vocabulum, quod ab interprete profectum esse apparet, apud classicos scriptores non reperitur. Ceteri codices vulgatum recte tuentur. Similiter Tibull. IV, 3, 7. *Quis furor est, quae mens*, id est *amentia* sive *insania*? Nec dissimilia sunt illa Catonis apud Liv. XXXIV, 2. *Qui hic mos est in publicum procurrendi, et obsidendi vias, et viros alienos appellandi?* et quae Liv. XXIV, 31. leguntur.

Cap. XX, *7. *Massiliam*] „vet. manus. habent *Saliam*.“ Scribe *Massaliam*. Graecis enim *Μασσαλία* vocatur. Vid. quem Ukertus Geograph. Graec. et Rom. Tom. II. Part. II. p. 422. cum aliis citavit, Tzschuck. ad Pomp. Mel. II, 5, 3. Vol. III. Part. II. p. 471. sq. ubi: „Latini, inquit, constanter scribunt *Massilia*, etsi Schottus libros quosdam *Massalia* habere in Antonini Itin. p. 299. adfirmat, ut Oudendorp. in Lucano III, 308.“ Codices Liviani ab aliis inspecti in huius nominis scriptura nihil variant.

Cap. XXII, 1. *haud minus*] „delendum *haud*.“ Gronovius quoque et Crevierius delendum censuerunt: Bekkerus delevit, me quidem non refragante. Doeringii mutatione: *atque id eo minus*, facile caremus. — 7. *aut respicientem*] „abest a libris manusc.“ Saltem a Lov. 1. et 3. Verba *nusquam circumspicientem*, quae praecedunt, ut haec a librariis omitterentur, effecisse apparet. — Ibid. *nequivisse*] „alii *nequisse*.“ Sic Hav. cum duobus aliis. Vid. Drakenborch. ad Liv. V, 10, 10.

Cap. XXIII, *6. *quos et ipse gravari militia senserat*] „lib. manusc. *ipsos* et *militiam*.“ Vulgatum Fabri, quum *et ipse*, de quo Buettnerus quoque Observatt. Liv. p. 52. exposuit, Liv. XXIX, 23. XXXI, 24. et XL, 12. ad rem mente et cogitatione supplendam, verbis non expressam referatur, ita defendit, ut hanc Livii sententiam fuisse arbitretur: „Moleste tulerant Carpetani longinquam illam et difficilem militiam. Id ut alii senserint, Hannibal certe ante ipsam profectionem eorum non senserat; neque enim quidquam providit, quo eorum aut conciliaret animos fidemque retineret, aut, si id minus posset efficere, repentinae tamen et turbulentae profectioni occurreret. Restabant alii, laborum non minus impatientes; at eos quidem quum etiam Hannibal sive *et ipse* gravari militia sensisset, callido usus ille consilio, ut ne Carpetanorum quidem profectionem inopinatam sibi accidisse simularet, domum dimisit.“ Rectius tamen, opinor, Wolfius: „Utrum, inquit, *militiam* cum Gronovio legendum, an codicum lectio *militia* servanda sit, dubium potest esse; sed cum Mureto et Gronovio *quos et ipsos*, ut series contexta docet, licet omnes codices *quos et ipse* praeferant, legendum esse, omni dubitatione caret.“ Hi enim, quos et ipsos militia gravari senserat Hannibal, opponuntur tribus peditum Carpetanorum milibus, quae paullo ante iter avertisse dicuntur. Nunc Gronovii emendatio, quam cum Baumgarten-Crusio et Bekkero ita secuti sumus, ut *militia* retineremus, codicis nescimus cuius auctoritate confirmatur. De duplici verbi *gravari* structura vid. Wopkens. ad Iustin. XX, 2. in Miscell. Observatt. Crit. Nov. Tom. X. p. 187.

Cap. XXVI, *6. *Volcarum*] „alii *Volgarum*.“ Hav. cum aliis *Vulgarum*, quod ad illud propius accedit. Literae *C* et *G* hic quoque, ut alibi, sunt permutatae. Vid. nostras Adnotatt. ad Rabirii Fragmenta p. 196. et quae Lipsius infra ad cap. 52, 10. adnotavit. — Ibid.

et diffisi] „*sed* habent lib. manusc.“ Hoc iam Gronovius auctore Sigonio tacite recepit, et Drakenborchius; „Ita, inquit, et Flor. Cant. Voss. aliique;“ quos inter Lov. 1. quoque et Hav. esse suspicor.

Cap. XXVII, 4. *educunt*] „alii *edocent*.“ Hoc in Flor. et uno Crev. repertum et, quum Clericus *eductis*, quod Vossius quoque suasit, pro *educunt* reponendum esse temere opinatus esset, a Crevierio et Drakenborchio receptum est. Et recte quidem. Nam quae Buettnerus Observatt. Liv. p. 50. sq. de huius loci scriptura disseruit, Wolffius iure meritoque improbavit. — *6. *castris*] „debet maiori litera scribi.“ Hanc adnotationem Ebertus praetermisit. Neque tamen opus est, ut verba: *et alius exercitus ratibus iunctis traiectus*, mutata interpunctione, a sequentibus seiungantur. Quod cur Lipsio placuerit, ex proxima adnotatione apparet. — *Ibid. *fessus*] „*fessi*.“ Haec Lipsii coniectura, quam ex vocabulo *profecti*, quod sequitur, captam pro supervacanea atque inutili habuerim, non nisi ita potest admitti, ut *reficitur* in *reficiuntur* mutetur. Paullo post vide, num Livius scripserit: *Postero die, profecti e loco, ex praedicto fumo significant, se transisse et haud procul abesse.* Polyb. III, 43. σημηνάντων ἐκείνων τὴν παρουσίαν τῷ καπνῷ κατὰ τὸ συντεταγμένον, id est *ex praedicto*, quod Liv. XXXIII, 6. legitur. Alia aliis placuerunt. Vid. Walchii Emendatt. Liv. p. 22. sq. et adde, Wolffium *ex loco* parum probabiliter sive in *ex eo loco*, sive in *illico* mutari voluisse. — 8. *aptatasque*] „alii *aptasque*.“ Sic Lov. 1. Drakenborchius vulgatum recte tuetur. — *Ibid. *propter equos*] „lib. unus manusc. I. L. [id est *Iusti Lipsii*] habet *praeter*.“ Hoc ipsum, quod Gronovius in ullo codice reperiri negat, Sigonio placuit. Lov. 1. et Hav. cum ceteris *propter* offerunt. Lipsius igitur lectionem *praeter* vulgatae non praeferendam ex alio codice enotavit. Paullo post pro *instructos frenatosque*, quum *instructos* idem quod *instratos* significare, haud facile quisquam praeter Doeringium sit existimaturus, Gronovii iussu ex Flor. et Gud. *instratos frenatosque*, quod Lallemandus, Baumgarten-Crusius et Bekkerus iuxta mecum admiserunt, reponendum esse, nemo tam rudis est ad artem equitandi, quin perspiciat. Liv. XXVIII, 14. *armatus eques frenatos instratosque teneret equos.* De horum vocabulorum permutatione vid. Oudendorp. ad Caes. B. C. III, 96.

Cap. XXVIII, 3. *tanta vis*] „lib. manusc. *vi*.“ — *Ibid. *evadens*] „*invadente*.“ Imo *evadente*, cui nescio an Pyndenius illud falso substituerit. — Ibid. *premebat acies*] „*premente acie*.“ Apparet igitur, Lipsii codicem, a Lov. 1. et Hav., quorum ille *tanta vis armatorum in terram evadens a tergo improvisa premebant acie*, hic *tanta vis armatorum in terram evadens a tergo improvisa premebat acie* offert, plane diversum, quum a corrupto illo *invadente* discesseris, per omnia fere conspirare cum Flor. et Gud., ex quibus Gronovius, cui Drakenborchius recte obsecutus est, hunc locum optime restituit. — 4. *postquam vim facere conati, ultro pellebantur*] „*ultro* delendum.“ Rectius haud dubie Iac. Gronovius, quem *utroque*, quod Lallemandus admisit, ex Cant. non recepisse miror, hoc vocabulum verbis *vim facere conati* praemisit. Vid. Buettneri Observatt. Liv. p. 52. sq. — 5. *variata memoria*] „lib. vet. *varia*.“ Idem Sigonius, quem Lipsius secutus esse videtur, in *vet. lib.* invenit. Ceteri codices vulgatum constanter retinent. — 10. *primis erat pavor*] „lib.

manusc. *primus.*" Sic Lov. 1. et Hav. cum ceteris, excepto Lov. 2. in quo *primis* legitur, quod Vossius, quum a Grutero recte in *primus* esset mutatum, temere revocaturus erat. — *11. *trepidationem aliquantum*] „lib. vet. *aliquantam.*" Lov. 1. et Hav. *trepidatione aliquantum cedebant* perquam vitiose offerunt. Drakenborchius autem, quum Gronovio auctore *trepidationis aliquantum* scripsisset, illud ipsum, quod Lipsius in codice nescio quo invenit, coniectura auguratus: „Occurrit etiam, inquit, minima mutatione legi posse *trepidationem aliquantam*, ut XXV, 35, 7. *aliquantum emensus est iter*, XXXVIII, 27, 6. *Per aliquantum spatium secuti.* At praestat codices *trepidationis* legentes sequi." Quod quidem ille verissime pronuntiavit.

Cap. XXIX, *3. *ad centum sexaginta*] „alii *quadraginta.*" Ex Polyb. III, 45. *ad centum quadraginta* scribendum esse, iam Gronovius recte suspicatus est. „Librarios, inquit Drakenborchius, ita peccasse, ut *LX.* pro *XL.* scriberent, vidimus supra ad X, 38, 4." Utrum Polybii, an codicum nescio quorum auctoritatem secutus sit Lipsius, non liquet. Illud probabilius videtur. Cf. Adnotatt. ad cap. 55, 2. — 6. *averterat*] „*avertit.*" Sic Lov. 1. et Hav. cum ceteris, quorum fide Drakenborchius, quum Aldus *averterat* invexisset, priscam lectionem revocavit. — Ibid. *Matali*] „alii *Macali.*" Sic Lov. 1. et Hav. Polybius III, 44. hunc regulum *Μάγιλον* appellavit. Propterea Gronovius primus *Magali* edidit.

Cap. XXX, 7. *exercitibus invias*] „*invias* delendum." Hoc vocabulum in nullo codice repertum et non nisi exteriori orae Pal. 3. allitum in ed. Mediol. primum comparuit. Alii aliter de huius loci scriptura statuerunt; neque hoc mihi sumo, ut tantas interpretum lites componam. Wolffius, ut hoc unum addam, Gronovii, Strothii et Heusingeri emendationes sibi displicere praefatus: „Interrogationis, inquit, signo post *exercitibus* deleto, et commatibus post *Alpes* et *paucis* positis, *et* ante *exercitibus* adiice. Tum haec lectio emergit: *Alpes, pervias paucis, et exercitibus esse.*" Et de his quoque existimatio communis omnibus esto. — *8. *non pennis*] „alii *et pinnis.*" Pyndenius, qui non *et pennis*, quod in Eberti exemplo legitur, sed *et pinis* scripsit, hic quoque errasse videtur. Nam vocula *et*, sive *pennis* sive *pinnis* probas, particulae *non* substitui nequit. — *9. *exhaustum*] „lib. vet. *exactum.*" Similiter in Cant. *exauctum* pro *exhaustum* legitur. Omissa adspiratione alii *exauctum*, alii *exactum* scripserunt. Praestat vulgatum, quod Lov. 1. et Hav. cum plerisque omnibus recte tuentur. Locis a Drakenborchio citatis adde Liv. V, 5. *Quum tantum laboris exhaustum sit* etc. atque XXXIII, 39. *Romanos per tot annos terra marique tanta pericula ac labores exhausisse.*

Cap. XXXI, *6. *Brancus*] „*Vrancus.*" Lov. 1. et Hav. *Braneus.* De literarum *B* et *V* permutatione vid. Adnotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 37. — *9. *in Tricastinos*] „alii *Tricastenos.*" Lov. 1. vulgatum servat; in Hav. corruptius etiam *inter Castinos* legitur. — 11. *glareosa*] „melius *glomerosa.*" Idem Sigonius, quem Lipsius secutus esse videtur, in veteribus libris repertum probavit. Neque recte, an perperam, interpretor. Diversa tamen ceterorum codicum scriptura vulgato patrocinatur.

Cap. XXXII, 2. *ad mare*] „*ac* legendum." Imo *ad mare ac naves*, quod Gronovius,

quum antea *ad mare ad naves* ederetur, codicum consensu firmatum restituit. Pyndenius haud dubie, quum Lipsius quoque *ad naves* in *ac naves* mutari vellet, in eius emendatione proferenda erravit. Neque satis accurate Ebertus scripsit: „*ac mare ad naves* legendum." — 5. *Genuam*] „extinguendum ac legendum *Placentiam*." Non sequor. Huic enim, quod ferri non posse Sigonius probavit, iam Aldus illud recte substituit. Praeterea Pyndenius perperam scripsit *extingendum*, quod Ebertus tacite correxit. — *7. *qua quidem incerta*] „*certa*." Hoc Lipsio, nisi forte prava codicis nescio cuius scriptura fuerit, temere excidisse miror. Nam vulgatum, quod Gronovius ita emendavit, ut *quidem* omitteret, haud dubie praestat. — *Ibid. *inanimaque*] „*inanimalior*." Quod vocabuli monstrum, nisi Pyndenii negligentia ex *inanimaliaq;* procreaverit, quid sibi velit, non dispicio. Vulgatum, quod editores ex Vallae coniectura adsciverunt, in Hav. exstare videtur: Lov. 1. aliique complures offerunt *inanimaliaque*, cui Gronovius *inanimataque*, quod recepit Bekkerus, substituendum esse censuit. — *10. *ex aperto*] „*ea aperte*." Lov. 1. et Hav. *ut ex ea aperto*, Lov. 4. et 5. *ut ex ea aperte*, in quibus duplex scriptura coaluit. Nihil tamen quicquam mutandum. Librarios enim voculas *ex* et *ea* saepissime confudisse, inter omnes constat. Vid. Handii Tursellin. Vol. II. p. 662. Atque similiter Liv. XXXV, 5. *impetum ex aperto facerent*, et Isocrat. Paneg. cap. 40. *ἢ πρὸς ἐκείνους ἐκ τοῦ φανεροῦ διαγωνίσασθαι.*

Cap. XXXIII, 3. *animis*] „vet. omnes *animisque*." Lipsius, quum copula, quam Iac. Gronovius restituit, in Lov. 1. sit omissa, et in Hav. non nisi verba *utraque defixit* reperiantur, sive alios codices, sive editiones antiquas, de quibus Drakenborchium conferas velim, secutus esse videtur. — *4. *equis*] „lib. manusc. *quibus*." Vocabulum *equis*, quum *videre* praecedat, primum in *quis*, deinde in *quib;* sive *quibus* abiisse, perquam probabile est. Rectius tamen, nisi quid me fallit, haec Lipsii adnotatio refertur ad sequentia, ubi pro *quidquid adiecissent* in Lov. 1. aliisque et editionibus Frob. 1. antiquioribus *quibus quidquid adiecissent* legitur. — Ibid. *discurrunt*] „*decurrunt*." Lov. 1. et Hav. *discurrunt*, quod Aldus perperam substituit lectioni *decurrunt*, quam codicum plerorumque consensu firmatam et Gronovio, Vossio aliisque probatam Lallemandus, Baumgarten-Crusius et Bekkerus iuxta mecum revocarunt. De totius loci scriptura vid. Walchii Emendatt. Liv. p. 12. sqq. et Buettneri Observatt. Liv. p. 54. sqq. cui Wolffius ita accessit, ut *per diversa e rupibus, iuxta invia ac devia, adsueti decurrunt*, legendum censeret. — *6. *dissonis*] „duo lib. manusc. I. Lypsii habent *discentionis*, optimus eius codex Cuiacianus habet *discessionis*." Lipsium igitur, quum in Hav. non corruptum *discentionis*, sed vulgatum *dissonis* reperiatur, quattuor saltem codicibus usum esse, ex hac adnotatione manifestum est. At illud Ebertus recte miratus est, quod Lipsius cod. Cuiac. sive Lov. 1. *discessionis*, Drakenborchius autem, qui et ipse hunc codicem inspexit, *dissessionibus* tribuerit. Uter eorum in scripturae diversitate enotanda erraverit, nisi ex ipso codice intelligi non potest. Malim tamen, quum Drakenborchius ex Hearnii N. *dissentionibusque*, et, interposita Lov. 1. lectione, ex Lov. 4. *dissensionibus* protulerit, huic potius quam Lipsio erroris culpam imputare. De vulgatae lectionis sinceritate non est, quod dubites. — *7. *multosque turba*] „alii legunt *et turba*." Vocu-

lam *et* ex ultima vocabuli praecedentis et prima sequentis litera conflatam esse, non temere suspiceris. Vide nostram Epist. ad Orell. p. 46. ubi Vellei. II, 84. et Liv. XXXII, 20. a librariis similiter peccatum esse docui. Alia id genus in Adnotatt. ad Liv. XXXIII, 31. et 45. proferam. Hic tamen, id quod ex sequenti adnotatione colligas, sive librarius, sive Pyndenius ita per errorem lapsus esse videtur, ut *multosque et turba* pro *multosque e turba* poneret. — *Ibid. *deiecit*] „alii *deiecerunt*.“ Vide igitur, ne *deiecerē*, id est *deiecerunt*, abierit in *deiecit*, quod ceteri codices ad unum omnes servant. Equos enim consternatos, quum praecipites deruptaeque utrimque angustiae essent, multos e turba in immensum altitudinis deiecisse, cur negem, non reperio. — 11. *captivorum pecoribus*] „lib. manus. *captivo ac pecoribus*.“ Sic Lov. 1. et Hav. Nam in Drakenborchii adnotatione *et captivis ac pecoribus* Lov. 2. pro *Lov.* 1. scribendum videtur. Vulgato, quod Vallae debetur, in maiore Livii editione Lallemandum et Strothium secutus ex Polyb. III, 51. substitueram: *et captivo frumento ac pecoribus*, quod Bekkerus retinuit; in minore autem Baumgarten-Crusio obsecutus ex Heusingeri coniectura reposui: *et captivo cibo ac pecoribus*, quod illi praestare arbitror. Atque iam ante Heusingerum, id quod postea intellexi, Vossius *et capto cibo ac pecoribus* scribendum censuit, et Lallemando pariter ac Strothio, id quod nunc demum vidi, coniecturae laudem praeripuit Martinius, qui, praemissa Gronovii adnotatione, de hoc loco ita commentatur: „Mihi quidem Liviana verba cum Polybianis semel iterumque comparanti haec demum lenissima et commodissima visa est loci reficiendi ratio, si Polybianum σῖτος, *frumentum*, redderetur Livio scribereturque: *Castellum inde, quod caput eius regionis erat, viculosque circumiectos capit, et captivo frumento ac pecoribus per triduum exercitum aluit.* Namque Polybius rem ita tradit: εἰς δὲ τὸ μέλλον ἔσχε μὲν καὶ σίτου καὶ θρεμμάτων ἐπὶ δυοῖν καὶ τρισὶν ἡμέραις εὐπορίαν· quibus verbis auctorem Graecum σῖτον et θρέμματα, *frumentum* ac *pecora*, coniunxisse plane vides. Unde a Livio eum secuto utrumque vocabulum itidem adhibitum fuisse arbitror. Loci depravatio posthac nata videtur hoc fere modo. Librarii aeque rudes ac temerarii, qui τὸ[12]) *captivus* saepenumero adiectivi loco adhiberi ignorabant, id vero de hominibus bello captis, adeoque substantive usurpari frequentissime noverant, *captivo frumento* reapse duo substantiva rebantur. Quae eodem casu sexto sine copula posita quoniam ferre non poterant, τὸ *frumento* abundare ipsis visum induxere, et quod in libris exstat, *captivo ac pecoribus* finxerunt. Quod quid sibi velit, quum Valla itidem non intelligeret, et qua usum τοῦ *captivus* in eadem forte haeresi esset, quod reperiebat *captivo ac* in *captivorum* mutandum, ut alterum ex altero penderet, temere credidit. Itaque lectio falsa, quae editiones fere omnes obsedit, per errorem nata. Contra si scripseris, *et captivo frumento ac pecoribus per*

12) Recte Godofr. Hermannus de perridiculo Graeci articuli usu, quo Doeringium quoque, ut alios taceam, maxime delectari constat, ad Homeri Hymn. in Cerer. 123. p. 121. „Optandum est, inquit, ut tandem desinant philologi Graeco articulo uti, quum Latine scribunt: quod adeo est barbarum, ut nihil aeque barbarum apud medii aevi scriptores inveniri possit. Desinerent, si quis Germanico vel Anglico vel Gallico articulo sic adhibendo luderet.“

triduum exercitum aluit, simul Polybiana verba, ut par est, latine reddideris, simul loci integritati consulueris. Usurpari autem *captivus*, *a*, *um*, veluti nomen adiectivum, est tralaticium. Liv. I, 53. *captivam pecuniam in aedificationem eius templi seposuit.* it. II, 48. *captivum agrum plebi quam maxime aequaliter darent.* Tacit. Annal. XII, 32. *colonia deducitur in agros captivos.* it. XIV, 30. extr. *cruore captivo adolere aras, et hominum fibris consulere deos fas habebant.* Curt. V, 6. *ingens pecuniae captivae modus.* it. VIII, 7. *captivum aurum.* Quare et recte dici potest *captivum frumentum*, id est eiusmodi frumentum, quod in agro hostili, vel ex hostibus captum est. Ceterum mallem etiam *alit*, quam *aluit*: maxime quum *capit* praecedere videamus." Invitis tamen codicibus nihil mutaverim. Praesentis enim cum perfecto iuncti exempla collegit Drakenborchius ad Liv. III, 46, 9. et alibi. De vocabulo *captivus* praeter Forcellinum vide, quae Drakenborchius, cuius editione Martinius caruisse videtur, ad h. l. adnotavit. Wolffius denique, nec Strothio nec Heusingero adstipulatus, sed olim, literis *B* et *V* permutatis, in codicibus *CAPTISIVI* scriptum fuisse ratus, Livium *et captis ibi pecoribus* etc. posuisse existimavit. Quae quidem coniectura vel propterea displicet, quod librarios alibi verbum *ibit*, ut hoc utar, in *ivit* mutasse, perquam probabile est, hic autem incredibili errore lapsos adverbio *ibi* verbum *ivi* substituisse, mihi persuadere non possum. Vid. Adnotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 37.

Cap. XXXIV, 1. *montana*] „*montanos.*" Sic Flor. In ceteris codicibus vulgatum reperitur. — Ibid. *deinde*] „*et.*" Sic Flor. et Cant. Ceteri codices nihil mutant. — *4. *credendo nec aspernando*] „*credendum ratus* et vet. omnes lib. omittunt *nec.*" Quod longe secus est. Lov. 1. cum optimis: *nec temere credendum*, *nec adspernandos*, omisso *ratus*; Hav. *nec temere credendum ratus*, *nec adspernandos*, quod Wolffius vulgato praetulit; Lov. 5. *nec temere credendum*, *nec adspernandos ratus*, quod Wolffius perperam Lov. 1. tribuit, et Bekkerus tacite quidem, ut solet, sed ita recepit, ut rectius *aspernandos* scriberet. Vid. Schaefer. ad Ernestii Gloss. Liv. s. v. *aspernari*, et Doederlini Synonym. Lat. Tom. II. p. 179. Paullo post lectionem: *nequaquam*, *ut inter pacatos*, *incomposito agmine*, ex Flor. et Cant. atque editionibus antiquis a Crevierio, Lallemando, Baumgarten-Crusio, Bekkero et nobismet ipsis restitutam Wolffius quoque vulgatae praeferendam censuit. Vocabula *compositus* et *incompositus*, ut Vellei. II, 72. *corruptus* et *incorruptus*, etiam Liv. XXXIII, 9. et 15. permutata sunt. — *5. *circumspectans solicitus*] „*circumspectus sollicitusque* omnes vet. lib. habent et optimi." Sic Pyndenius scripsit. In Eberti exemplo *circumspectas sollicitasque* legitur. Hoc corruptum esse apparet: illud, quod nescio an a Pyndenii errore sit profectum, non nisi Sueton. Tib. 21. et Claud. 15. aliorumque scriptorum recentiorum locis tuearis. Rectius igitur Drakenborchius *circumspectans sollicitusque omnia*, quod Lipsius quoque probavisse videtur, ex Flor. Lov. 1. Hav., in quo *solitusque* pro *sollicitusque* reperitur, aliisque compluribus Livio restituit. — 6. *ex parte*] „*et parte* alii." Hoc in solo Cant. et in Flor. a prima, ut aiunt, manu legitur, sollemni harum vocularum permutatione. Vid. Handii Tursellin. Vol. II. p. 662. — *extrema agmina*] „vet. lib. *agminis.*" Sic Lov. 1. et Hav. ceterique omnes, quos Gronovius et Drakenborchius recte secuti sunt. Haec ad-

monent loci Liv. XXXVI, 20. ubi ex cod. Bamb. aliisque revocavi: *quae novissimi agminis erant*, pro *novissimae*, quod Baumgarten-Crusius quoque et Bekkerus receperunt. — 8. *dum cunctaretur*] „alii *cunctatur*." Lov. 1. *cunctaretur*, sed Hav. cum melioribus *cunctatur*, quod Iac. Gronovius illi recte substituit. Vid. Handii Tursellin. Vol. II. p. 314. sqq. — *Ibid. *dimittere*] „*inmittere*." Huic Lipsii coniecturae haud dubie praestat *demittere*, quod Iac. Gronovius reposuit pro *dimittere*, cui Lov. 1. et Hav. ceterique codices adhaerent. — *Ibid. *reliquerat*] „*reliquum erat*." Haec quoque Lipsii coniectura vulgato non praeferenda videtur. Librarios tamen saepius ita peccasse, ut duo vocabula in unum coalescere paterentur, in Adnotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 81. et Epist. ad Orell. p. 30. docui. — *9. *occursantes*] „*concursantes* et *cursantes* emendat D. I. Lypsius." Magnopere vereor, ut Lipsius, licet Livius cap. 35. scripserit: *inde montani pauciores iam, et latrocinii magis quam belli more, concursabant*, hunc locum recte sollicitaverit. Liv. XXXVIII, 40. *barbaris per calles notos occursantibus*. — *Ibid. *erupto*] „*adempto*," Quod quid sibi velit, non adsequor. Pyndenius per errorem, quo librarios saepissime lapsos esse constat, *adempto* pro *adepto*, quod apud Livium nusquam passive ponitur, scripsisse videtur. Cf. Drakenborch. ad Liv. II, 15, 6. et Kritz. ad Sallust. Cat. cap. 7, 3. Lov. 1. *perrupto*, Hav. cum plerisque omnibus *erupto*, cui Sigonius illud substituit. Rectius haud dubie Glareanus, Gronovius et Vossius suaserunt *interrupto*, quod Baumgarten-Crusius et Bekkerus receperunt, et Wolffius quoque adsensu comprobavit.

Cap. XXXV, *2. *ut cuique*] „*utrimque*." Imo *utcunque*, quod Drakenborchius codicum meliorum auctoritate reposuit et Lipsius etiam, quum in Lov. 1. *utque*, in Hav. autem *ut cuique* invenisset, commendaturus erat. Pyndenius enim hic quoque peccasse videtur. — *Ibid. *progressi*] „*praegressi*." Praestat vulgatum, cui sequens *morative* aptius respondet. Rectius contra Liv. XXXIII, 3. vulgato *progressus* ex cod. Bamb. *praegressus* substitui. De crebra horum verborum permutatione vid. Drakenborch. ad Liv. IX, 10, 7. — 3. *praecipites per arctas vias*] „*per arctas praecipitesque vias*." Crevierius quoque, quum in uno ex suis codicibus, qui cum Flor. consentit, *per arctas praecipites vias* invenisset: „Addenda est, inquit, tantum particula copulativa: *per arctas et praecipites*, vel *praecipitesque vias*." Walchius contra, cui Wolffius accessit, Emendatt. Liv. p. 83. rectius, omissa copula, *per artas praecipites vias* scribi demonstravit. Hunc cum Baumgarten-Crusio et Bekkero secuti sumus. Nec temere. Namque infra haec leguntur: *Omnis enim ferme via praeceps, angusta, lubrica erat*, ad quae recentiores Livii editores non attendisse videntur. Doeringium, cui Raschigium auscultasse miror, Livii manes poenas expetituri praecipitem agant. — *4. *valles*] „*calles*." Haec Lipsii coniectura habet, quo placeat. Similiter idem Epist. Quaest. V, 1. verissime suspicatus est, Liv. XXII, 4. pro ex *pluribus vallibus* scribendum esse *ex pluribus collibus*, quod cum Strothio, Baumgarten-Crusio et Bekkero recepi. De diverso vocabuli *callis* genere vid. Schneideri Gramm. Lat. Part. II. Vol. I. p. 99. — 5. *in iugis*] „alii *iugo*." Lov. 1. cum aliis *in iugos*, Hav. *in iugis*. Iac. Gronovius suasit *in iugo*, quod Drakenborchius non sine libris recepit. — 12. *afflicti*] „alii *afflictis*, sed utraque lectio bona

est." Lov. 1. et Hav. cum pluribus codicibus et editionibus antiquis offerunt *afflictis*. Quod qua ratione possit explicari, non perspicio. Satis apposite Baumgarten-Crusius adscripsit verba cap. 58. *aut contra enitentcs vortice intorti affligebantur.* — Ibid. *et homines*] „*in* lib. manus. habent." Sic Lov. 1. et Hav. Hae voculae alibi quoque a librariis permutatae sunt. Vid. Handii Tursellin. Vol. II. p. 540. et III. p. 356.

Cap. XXXVI, *2. *Natura*] „lib. vet. *nam.*" Errorem librario obiecit scripturae compendium *na* pro vocabulo *natura* poni solitum. — 5. *praealtae*] „alii *peraltae.*" Hav. corruptius etiam *par aliae;* Lov. 1. *praealtae,* quod Valla optime restituit. Nam *peraltus,* quum Macrob. Sat. VI, 2. in Ennii versu non *peralta*, sed *per alta* sit scribendum, nusquam legitur: *praealtus* apud Livium aliquoties reperitur. — *6. *labem*] „lib. manusc. *tabem.*" Sic Pyndenius perspicue admodum scripsit. In Eberti tamen exemplo *talem* legitur. Nunc igitur coniecturae per se certissimae, ex qua Gronovius *labem* in *tabem* mutavit, codicis nescio cuius auctoritas accessit. Similiter Liv. XLI, 15. vulgato *inenarrabiliter*, quum in cod. Vindob. *inenarrabilitate* exstare didicissem, *inenarrabili tabe* substituendum esse, coniectura non minus certa atque a Bekkero tacite comprobata perspexi. Vid. Adnotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 80. — *7. *ut*] „*et.*" Quod Lipsius sive in codice nescio quo invenit, sive ex coniectura reponendum censuit, quum *et* adverbio *ut* substitutum, nisi sequens *a* deleveris, ad proximum *et*, quo verba *non recipiente vestigium* cum sequentibus *in prono citius pedes fallente*, quae vulgato *pede se fallente* substituenda esse, Martinius quoque post Drakenborchium vidit, simpliciter copulantur, referri nequeat, nullo pacto potest admitti. Ceterum de toto hoc loco, qui interpretibus quoque taetram luctationem contraxit, vid. Walchii Emendatt. Liv. p. 83. sqq. et Buettneri Observatt. Liv. p. 57. sqq. cui Wolffius ita accessit, ut *prolapsis,* quod Bekkerus etiam de Gronovii et Drakenborchii sententia praetulit, pro *prolapsi, corruebant,* quod itidem Bekkerus Gronovium secutus recepit, pro *corruerunt, etiam* pro *etiamtum,* cui Bekkerus *etiam tum* substituit, *iactando* pro *iactandis*, *alta* pro *alte,* et *nive* pro *glacie* scriberet. Nonnulla ex his per errorem posita esse, postea videbimus. — *Ibid. *seu manibus*] „vet. lib. *semet.*" Hoc vulgato *seu*, quod ceteri codices servant, non praeferendum esse apparet. Vide igitur, ne haec adnotatio ad verba *se adiuvissent*, quae tamen et ipsa sine scripturae diversitate in codicibus ad unum omnibus leguntur, sit referenda. Quid, quod Pyndenius ipse, quum notam primum voculae *et*, deinde sequenti *seu* temere, opinor, apposuerit, et literas *me* pronomini *se*, quod in extremo versu legitur, in margine adiectas induxerit, notam autem huic vocabulo non sinistrorsum, ut alibi, sed dextrorsum appositam non sustulerit, Lipsii adnotationem literis *ve* subscriptam ad hoc ipsum pronomen retulisse videtur. — *Ibid. *prolapsi si iterum corruissent*] „*prolapsis iterum corruerent.*" Sic Flor. aliique. Lov. 1. *prolapsi si iterum corruissent,* Hav. aliique complures *prolapsis iterum corruissent*, omissa particula *si*, quae hic a librariis facile et addi potuit, et omitti. Utrum igitur, id quod Baumgarten-Crusio adstipulante fecimus, de sententia Vossii et Walchii ex Cant. *ipsis adminiculis prolapsi si iterum corruerent* recipiendum, an cum Bekkero ex Gronovii coniectura *ipsis adminiculis prolapsis iterum*

corruebant, quod in nullo codice reperitur, scribendum sit, alii me acutiores viderint. — Ibid. *itaque*] „vet. lib. *ita*.“ Hoc Gronovius haud dubie ex codicibus, qui ad unum omnes *ita* offerre videntur, illi substituit. Librarios alibi haec vocabula permutasse, Drakenborchius infra ad cap. 53, 7. docuit. — 8. *secabantur*] „*secabant*.“ Gruterus hoc, quod postea in Flor. et Cant. inventum est, in ultima editione ex Turnebi coniectura Adverss. XIII, 18. proposita recepit. Lov. 1. *sectabantur*, Hav. *secabantur*, ut plures alii cum editionibus antiquis. — * Ibid. *tum*] „*tantum*.“ Prava haec scriptura in nullo codice reperitur. Lov. 1. *tam*, omisso praecedenti *etiam*; Hav. *etiam tam*. — Ibid. *infirmam*] „lib. manusc. *infimam*.“ Sic Lov. 1. et Hav. aliique. Hoc illi iam Gronovius recte substituit. — Ibid. *continendo*] „alii *connitendo*.“ Ita scribendum esse, Faber certissima, id quod eventus docuit, coniectura perspexit, idemque Vossio placuit. Eo minus, quum nunc codicum a Lipsio inspectorum auctoritas accedere videatur, recepisse poenitet. Ceterum *connitendo* effecit, ut Wolffius pro *iactandis* per errorem *iactando* poneret. — Ibid. *indurata et alta*] „*in dura et alte*.“ Sic Flor. et Cant. nisi quod in hoc *durata* legitur. Nam in Drakenborchii adnotatione *alte* pro *late* scribendum. Lov. 1. *in durata et lata*, Hav. *in durata et alta*. Gronovius primus *in durata et alte concreta glacie* edidit, et plerosque libros *dura* offerre adnotavit. Praeterea Wolffius hic quoque per errorem lapsus *nive* pro *glacie* scripsit.

Cap. XXXVII, 2. *minuendam*] „lib. vet. *muniendam*.“ Hoc quoque, quod in Flor. Cant. Gud. et pluribus aliis codicibus reperiri, Gronovius et Drakenborchius testantur, Gruterus in ultima editione ex Turnebi coniectura Adverss. XIII, 18. proposita recepit. — * Ibid. *per quam via una esse poterat*] „*via* delendum. — *unam* legendum.“ Imo cum Gronovio et Drakenborchio ex codicibus optimis reponendum: *per quam unam via esse poterat*. Neque crediderim, Lipsium, cuius mentem Pyndenius hic quoque non adsecutus esse videtur, vocabulum *via*, quod transponendum esset, delendum censuisse. — 4. *iumenta prope fame absumebantur*] „*iumentis prope fame absumptis*.“ Hoc Iac. Gronovius ex solis, ut videtur, codicibus Flor. et Cant. edidit; illud ceteri ad unum omnes servant. Lipsius igitur alios, quos consuleret, codices habuit. — 5. *vallis apricos*] „*valles et apricos*.“ Lov. 1. *vallis apricos*, Hav. *valles apricos*. Drakenborchius autem ex Cant. uno Crev. et Lov. 3. *valles et apricos quosdam colles* recepit, quod Lipsius quoque ex codice nescio quo protulit. — * Ibid. *etiam*] „lib. vet. *et iam*.“ Hoc Drakenborchius ex Gronovii emendatione, codicis auctoritate nunc confirmata, illi substituit. Paullo post Wolffius, quum Crevierius *iam et locis mollioribus et adcolarum ingeniis* suasisset, *mollioribus iam et locis et adcolarum ingeniis* scribere maluit. Bekkerus Gronovio hic quoque *et iam* scribenti obsecutus est.

Cap. XXXVIII, 3. *Alimentius*] „*Alimentus*.“ Iam Sigonius, quem Lipsius secutus esse videtur, hoc ex *vet. lib.* restituit. — * Ibid. *maxime author moveret me*] „lib. manus. *maximus me autor moveret*.“ Hoc in nullo codice reperitur. Lov. 1. *maxime auctor moveret*, et Hav. *maximus auctor moveret*, omisso *me*, quod Iac. Gronovius ita servavit, ut ex Cant. *maxime auctor me moveret* in orationis contextum reciperet. — * 5 *in Taurinis*] „lib. manus. *e Taurinis*.“ — Ibid. *Gallis*] „*Galliae*.“ Sic Cant. solus. — Ibid. *digresso*] „*digres-*

sum." — 6. *Id cum*] „*Id* delendum." Lipsius Epp. ad Belgas Cent. I. ep. 93. „Distinguo, inquit, et lego: *aliorumque iumentorum amisisse. E Taurinis, quae Gallis proxima gens erat, in Italiam digressum, cum inter omnes constet; eo magis.* Firmat ipsa res, tum et libri prisci, in quibus *amisisse, Taurinis* sine vocula illa media scriptum." Et paullo post: „Sed de ipsis Taurinis addit, *quae Gallis proxima gens.* An non igitur Taurini tunc Galli? non, sed Liguribus videntur accensiti. Strabo [IV, 6.] de iis: *Λιγυστικὸν ἔθνος, Ligurum natio*, quod ad originem fortasse verius referas, et situ tamen Galli erant: ideoque hic rescribas *quae Galliae.* Ea gens Galliae proxima Italiae erat in illo tractu." Ex his igitur, quum haec epistola a. 1601. scripta sit, manifesto apparet, Lipsium coniecturas quidem olim factas postea quoque probasse, sed praepositionem *e*, licet hoc Pyndenius contestetur, in nullo codice reperisse. Quid, quod etiam Drakenborchius praepositionem *in* ab editoribus insertam in omnibus suis et Hearnii codicibus omissam esse perhibet. Propterea nunc quoque, quicquid Wolffius obloquitur, haud poenitet hunc locum ex Drakenborchii emendatione, quam Baumgarten-Crusius, Gronovio eam falso tribuens, et Bekkerus itidem admiserunt, ita edidisse, ut scriberem: *ingentemque numerum equorum et aliorum iumentorum amisisse, Taurinis, quae Gallis proxima gens erat, in Italiam degressum.* Neque accesserim Ukerto, qui Matthiaeum secutus Geograph. Graec. et Rom. Tom. II. Part. II. p. 604. Livium scripsisse censuit hunc in modum: *In Taurinis, quae Gallis proxima gens est, in Italiam degressum quum inter omnes constet, eo magis* etc. — * 7. *Coelius*] „*Caelium.*" In Eberti exemplo *Coelium* legitur. Lipsius coniectura praecepit, quod Bekkerus, quum Flor. Cant. Hav. aliique *collium* offerant, vulgato recte substituit. — Ibid. *Cremonis*] „*Centronis.*" Iam ante Lipsium Sabellicus: „Vide, inquit, ne *Ceutronis*, vel *Centronis*, ut Plinius ait, sit legendum." Plinius enim H. N. XI, 42. *Alpium Ceutronicarum*, sive potius *Centronicarum* mentionem iniecit. Beroaldo Facis Gruter. Tom. I. p. 157. et Glareano *Centronis* placuit. Lipsius autem, mutata sententia, postea Epp. ad Belgas Cent. I. ep. 93. haec scripsit: „Nusquam lectum hoc *Cremonis iugum*, et ideo Glareanus inclinat legere *Centronis*, quia populi *Centrones* in eo ipso tractu. Atqui *Centronum* tunc potius dixisset. Levis mihi suspicio, ne *Greionis* vel *Graionis iugum* sit vera lectio: quod a Graiis Alpibus non abludit, et Plinius ibi Graios populos locavit." Praestat tamen in vulgato adquiescere. Vid. Ukerti Geograph. Graec. et Rom. Tom. II. Part. II. p. 108. — Ibid. *dicit*] „*dicere.*" Sic Hav. cum tribus aliis codicibus; Lov. 1. cum Flor. et Cant. aliisque *diceret.* Recte igitur Bekkerus, ut oratio ex verbis *eo magis miror* penderet, totum locum, Lipsio nunc suffragante, ita constituit: *Coelium per Cremonis iugum dicere transisse.* — * Ibid. *Libuos*] „*Libitios.*" Imo *Libicios* sive *Libicos.* Nam Ptolem. III. 1. *Λιβικοί*, Polyb. II, 17. *Λεβέκιοι*, et Plin. H. N. III, 17. ubi codices *Libitiorum* et *Libiciorum* offerunt, *Libici* appellantur. „Quare vix dubitari debet, ut Schweighaeuserus ad Polybii locum Tom. V. p. 384. ait, quin apud Livium V, 35. XXI, 38. XXXIII, 37. cum Cluvero *Libici* scribendum sit pro *Libui*, quod vulgo ibi legitur." — Ibid. *deduxissent*] „*deduxerint.*" Sic Hav. cum plurimis; Lov. 1. cum paucis *deduxerunt.* — 9. *vertice Penninum*] „*verticem Pennum.*"

In Eberti exemplo ed. Lugd. *Pennium* falso tribuitur. Hav. cum quattuor aliis codicibus *verticem*. „Reliqui, ut ait Drakenborchius, et inter eos optimi omnes, recte vulgatum tuentur." Lipsius tamen Epp. ad Belgas Cent. I. ep. 93. „Potius *verticem*, inquit, cum priscis libris. Nam hoc dicit, ipsum verticem et caput montis sacrum esse barbaro ritu, qui et alibi obtinebat." Quae quidem Drakenborchius recte improbavit, simulque non *Pennum*, quod Cluverio quoque placuit, sed *Peninum* scribendum esse docuit. Praeterea vid. Melet. crit. Spec. I. p. 18. ubi *Peninum* pro *Penninum* ponas velim, et Ukerti Geograph. Graec. et Rom. Tom. II. Part. II. p. 108.

Cap. XXXIX. * 2. *tabeque*] „*scabraeque*." Poeta apud Cic. Tusc. Disp. III, 12. *pectus illuvie scabrum* dixit. At quid sibi velit: *cultus ex illuvie scabraeque*, non dispicio. Vide igitur, ne Lipsius temere, opinor, *scabieque* scribendum esse putaverit. — * 10. *adhortandorum militum caussa*] „ista verba delenda sunt *adhortandorum militum causa*." Invitis codicibus ad unum omnibus non deleverim.

Cap. XL, 7. *plures pene*] „melius *plane*." Phil. Rubenius, quem hic quoque Lipsium compilasse apparet, Elect. I, 39. p. 42. „*Paene* aut ablegandum, inquit, aut mutandum in *plane*." Gronovius *foede*, Vossius *sane* legendum censuit. Neutrum placet. Wolffius: „Librarius, inquit, sive alius vir non indoctus, Polybii locum III, 160. σχεδόν που τὴν ἡμίσειαν τῆς δυνάμεως etc. ante oculos habens, ut indicaret, Scipionem apud Livium rem augere, atque, si veritatem retinere voluerit, dicere debuisse: *qui plures pene perierint, quam supersunt*, haec verba post *eos* adscripsit, quae tandem ab ora in contextum irrepserunt." Nec intercedo. Praeterea cod. Lips. cum edd. Ascens. Mog. Frob. 1. 2. aliisque offert: *qui plures pene perierint, quam supersint*. Bauerus quoque maluit *supersint*. Atque hoc ipsum, quod Gronovius, nisi fallor, tacite quidem, sed recte in *supersunt* mutavit, etiam in aliis codicibus reperiri suspicor. — * 9. *umbrae hominum*] „delenda ista vox *hominum*." Minime vero. Ita enim vocabulum *effigies*, quod praecedit, non haberet, quo referatur. Sic Plaut. Mil. III, 1, 31. *umbra es amantum magis, quam amator.* — Ibid. *torrida*] „melius *torpida*." Phil. Rubenius, hic quoque plagii convictus, Elect. I, 39. p. 43. quum *praeusti artus* praecedat, coll. Sil. Ital. IV, 68. *membra torpida gelu* scribendum esse existimavit. Gronovius contra nihil mutandum esse, Observatt. III, 3. p. 346. recte monuit; praesertim quum supra cap. 32. *pecora iumentaque torrida frigore* dicantur. *Artus* enim manuum pedumque digitos, *membra* totum corpus significant. Vid. Doederlini Synonym. Lat. Part. IV. p. 150. sq. — 10. *non hostes*] „ista duo verba delenda *non hostes*." Non nisi in Cant. omissa sunt: Lov. 1. et Hav. *non hostem* offerunt. — Ibid. *habebitis*] „*habetis*." Sic Hav. cum duobus aliis codicibus. Hoc ex illo, quod *pugnaturi estis* requirit, subortum esse apparet. — Ibid. *ne antequam vos cum hoste pugnaveritis*] „alii *quam* habent. — duo ista verba delenda *cum hoste*." Lipsius igitur, quum Lov. 1. *ne antequam vos cum pugnaveritis*, et Hav. *ne antequam vos pugnaveritis* offerat, in aliis codicibus *ne quam vos cum pugnaveritis*, quod in Lov. 2. legitur, invenisse videtur. Recte tamen Drakenborchius, quum Sigonius *ne antequam* in *quam ne*, *antequam* mutasset, ex tribus codicibus, vocabulo

hoste omisso, recepit: *quam ne, vos quum pugnaveritis*, pro quo Martinius, quem Drakenborchii editione non usum esse vidimus, vel auctore Iac. Gronovio ex Gud. *ne, vos cum pugnaveritis*, vel ex coniectura *ne quocum vos pugnaveritis*, vocula *quam* omissa, minus recte repositurus erat.

Cap. XLI, 4. *neque regressus ad naves erat*] „*neque* et *erat* delenda sunt." Lov. 1. *nec regressus ad naves erat;* Hav. *neque regressus ad naves,* omisso *erat.* Lipsius Sigonium, cui Gronovius quoque et Drakenborchius accesserunt, secutus esse videtur. Et recte quidem. Facile enim caremus coniectura Drakenborchii, qui: „An, inquit, legendum proxime ad codicum lectionem *atque regressus ad naves erat?* Ita *regressus* infra est XXXVIII, 4, 10. *ne qua sentirent Romani, et regressus inde in tutum non esset.*" De quo loco vide, quae contra Doeringium in Vann. crit. p. 61. monui. — 5. *huic timendo hosti*] „delenda ista verba *huic timendo hosti.*" Quo iure, quum omnes codices ita servent, ut in solis Flor. Cant. et Exc. Pithoei *huic timendo hosti obvius fui* legatur, non video. — 6. *alios certe repente*] „delendum *certe.*" Hoc vocabulum in codicibus plerisque omnibus reperitur. „Verum lectio illa, inquit Drakenborchius, nata est ex duplici lectione iuncta *alios certe Carthaginienses*, ut praefert Hav. et *alios repente Carthaginienses*, ut est in Flor. et Cant. quod etiam Livio restitui." — 8. *pacemque*] „duo lib. manus. habent *patremque,* alter *parentemque.*" Pyndenius, id quod Ebertus adnotare supersedit, errore lapsus *pratrēq;* pro *patremque* posuit. Quum Lov. 1. et Hav. cum plurimis offerant *patremque*, quod Gronovius revocavit, vocabulo *alter* tertius significari videtur codex, qui cum paucis *parentemque* offerret. — 11. *si voluissemus*] „delendae istae voces *si voluissemus.*" Haec verba, quum in nullo codice comparuissent, Crevierius et Drakenborchius recte induxerunt.

Cap. XLII, 2. *eligeret*] „alii *legeret.*" Ebertus hanc adnotationem praetermisit. Quod Lipsius haud dubie ex Lov. 1. et Hav. protulit, iam Gronovius alteri recte substituit. Nam in codicibus plerisque omnibus reperitur. — 3. *excilerat*] „*exierat.*" Iam Valla sic scribendum esse censuit. Neque Latinae consuetudini repugnat. Vid. Liv. XXIV, 8. et XLV, 15. Horat. Carm. II, 3, 27. et Cic. Epp. ad Att. I, 19. „Et ita, inquit Drakenborchius, interdum variatur in scriptis. Vid. ad XXIII, 3, 7. At hic nihil mutandum puto. Omnes enim scripti stant pro vulgato. Et ita infra XXII, 1, 11. *sortès sua sponte attenuatas, unamque excidisse, ita scriptam: Mavors telum suum concutit.*" Sic Graecos quoque ἐκπίπτειν dicere, praeter Gebhardum et Gronovium monuit Schaeferus ad Ernestii Gloss. Liv. s. v. *excidere.*

Cap. XLIII, 5. *Hic vobis vincendum*] „*vobis* delendum." Gronovius recte expunxit. — * Ibid. *et*] „*at.*" Similiter Lipsius Vellei. II, 69. *et* in *at* mutavit. Et solent hae particulae a librariis confundi. Vid. Handii Tursellin. Vol. I. p. 451. et II. p. 539. Neque tamen, invitis codicibus, a vulgato discesserim. — 9. *operaepretia*] „duo sunt verba *operae pretia.*" Hanc adnotationem Ebertus consulto omisisse videtur. Vocabuli *manupretium* sive *manipretium*, de quo Drakenborch. ad Liv. XXXIV, 7, 4. conferas velim, diversa est ratio. — 11. *existimaveritis*] „alii *existimastis.*" Hoc admitti nequit. Vide igitur, ne

Lipsius scribendum censuerit *existimaritis*, quod Gronovius et Drakenborchius ex Put. Flor. et Cant. receperunt. — 12. *quid est quod*] „melius *cur*.“ Utrumque recte dicitur. Gronovius tamen et Drakenborchius *cur* ex Put. Flor. Cant. et Voss. reposuerunt. — 18. *tum laudastis*] „vel *collaudastis*.“ Hoc Sigonius ex *vet. lib.* protulit et Drakenborchius in Ber. invenit. — Ibid. *donastis*] „*vos a me donati estis*.“ Adnotatio utraque in Eberti exemplo ita coniuncta est ac depravata: „Vel *collaudestis* — vel *a me donati estis*.“ De lectione ante Gronovium vulgata: *tum laudastis me, milites, donastis*, quae in Lov. 1. et Hav. aliisque codicibus reperitur, Phil. Rubenius Elect. I, 23. p. 26. ita disseruit: „Quid donaverint? an munera accipere a militibus imperator solet? imo dare. Si non aliquid desit, legerim in hanc mentem: *donati estis*. Duo recensuit. Et ego, inquit, fortiter saepe feci vobis spectantibus, et vos me. Laudem igitur a vobis accepi, praemium unicum ducibus; et vos dona a me, ex militiae more.“ Haec quoque Rubenius Lipsio sublegisse videtur. Multo tamen rectius, quum Gronovius in cod. Put. *tum laudatis me miliens donatisque* reperisset, Alb. Rubenius, qui patruo sagacior Liv. XXXIII, 45. *et inertia sopiri*, quod in cod. Bamb. legitur, pro *et inertia operis* reponendum esse vidit, palmaria coniectura hunc locum ita restituit, ut scriberet: *Cum laudatis a me millies donatisque*, quod Gronovius recepit. Ad hoc proxime accedit Flor. et Cant. scriptura a Drakenborchio enotata.

Cap. XLIV, 3. *pugnaturi, quanto maior*] „*pugnaturi, quam hostis, quanto maior*.“ Pyndenius enim, nota verbis *quanto maior* apposita, in margine *quā hostis* adscripsit. Quae Lipsius in codice nescio quo invenit verba *quam hostis*, quum Gronovius ex cod. Put. protulisset, et, num Livio restituenda sint, addubitasset, Drakenborchius in orationis contextum recepturus fuisse videtur. Nam: „Voces *quam hostis*, inquit, ne quis forte Put. suspectum habeat, exhibent etiam Flor. et Cant.“ Recte igitur Bekkerus inseruit; lectore tamen, ut solet, non monito. — * 4. *Accendit*] „*Accendat*.“ — * Ibid. *stimulat*] „*stimulet*.“ — * Ibid. *dolor, iniuria*] „*dolor iniuriae*.“ Trium harum lectionum nec vola nec vestigium in codicibus hactenus collatis apparet. Nec quicquam novandum esse arbitror. Vereor enim, ne orationis nervi incidantur. — * 5. *cum quibus pacem*] „*pacemve*.“ Hanc lectionem undecunque petitam atque a Pyndenio ita consignatam, ut nota voculae *cum* sit apposita, si admiseris, *cum quibus bellum pacemve habeamus*, scribendum erit. Quod nolim. — * 7. *veterrimas*] „*veteres meas*.“ Olim *veterrimas provincias nostras* edebatur, cui *veterrimas provincias meas* ex Put. aliisque codicibus substituendum esse, Gronovius Observatt. IV, 20. p. 754. sq. monuit. Lipsium secutus sive *nostras*, sive *meas*, quod vocabulo *provincias* vulgo subiicitur, omittas necesse est. Verum enim vero, ut dicam, quod res est, Pyndenio haec adnotatio ita erat conformanda: „*nostras*] „veteres *meas*.“ Quippe Lipsius, nisi mea me fallit opinio, in scholis dixerat, veteres libros non *nostras* offerre, sed *meas*, quod in Lov. 1. aliisque codicibus reperitur. Similiter infra quoque in adnotatione ad cap. 49, 7. *veteres* pro *veteres libri* positum esse, ex adnotatione ad cap. 50, 10. intelligitur. — Ibid. *ademit*] „*adimit*.“ Sic Lov. 1. et Hav. aliique. Gronovius ibidem *adimis*, quod in Cant. quoque legitur, Livio restituit. — Ibid. *nisi adimat etiam Hispaniam*] „duo ista verba de-

lenda *nisi adimat.*“ Haec verba codicibus invitis ab editoribus inserta Gronovius ibidem exterminavit. — 9. *incitamentum*] „*contemptum.*“ Sic Lov. 1. et Hav. cum Put. Flor. Cant. aliisque. Pro eo neque Vallam *incitamentum,* neque Gronovium *momentum* recte reposuisse, omnes uno ore fatentur. Martinius igitur, ut alias aliorum coniecturas omittam, quum Fr. Gronovii, Graevii et Iac. Gronovii emendationes admitti non posse docuisset, nomen *telum,* quod in ed. Rom. verbis *datum est* praemittitur, in vocabulo *nullum* latere suspicatus: „Fac enim, inquit, a manu prima *NON*, compendii caussa, scriptum fuisse *N* cum lineola superinscripta, quod saepe occurrit, additumque *TELUM* hoc fere modo *N̄TELUM,* posteriores librarii, sive per inspiciendi negligentiam, sive per errorem, inprimis lineola transversum ducta oculos non amplius satis feriente, ex duplici vocabulo unum, scilicet *NULLUM,* mutatione quidem levissima comminisci potuerunt. Quod hoc modo ortum, et ab aliis propagatum, libros reliquos obsedit, hodieque obsidet. Quare si suspicio haec mea non prorsus absona sit, locum ita reficiendum videbis: *non telum contemtu sui ad vincendum homini ab diis immortalibus acrius datum est.*“ Argutiora haec, quam veriora esse videntur. Wolffius autem, quum Iac. Gronovius cod. Voss. scripturam *ctēptū*, id est *contemptum,* in *eo telum* mutandam esse, parum probabiliter coniecisset, utrum syllaba *con* ex *eo*, an ex *enim* prodierit, dubium esse ratus hunc locum coll. Polyb. III, 63. ita restituendum esse censuit, ut scriberet: *nullum enim telum ad vincendum homini ab diis immortalibus acrius datum est.* Quo quidem nihil esse potest languidius.

Cap. XLV, 1. *pontis causa*] „*causa* delendum.“ Lipsius, priusquam hoc vocabulum in codice Cuiaciano sive Lov. 1. et Hav. invenisset, alium haud dubie codicem secutus Epist. Quaest. I, 12. haec adnotavit: „A veteri abest vox *caussa.* Nimium bene. Idque genus sermonis a me in Tacito notatum.“ Vid. Lips. ad Tacit. Hist. IV, 25. Boetticheri Lex. Tacit. p. 217. sq. et Drakenborch. ad Liv. XXXI, 12, 4. Hic tamen, id quod Drakenborchius recte monuit, unius librarii culpa excidisse videtur; praesertim quum *cā* sive *causa* a sequenti *castellum* facile potuerit absorberi. — * 3. *vico tumulis*] „*Vicumviis.*“ Sic Lipsius, quum hic in Lov. 1. *vicotumulus* et in Hav. *vico tumulis*, sed infra cap. 57. in edd. Ascens. et Mog. aliisque a Drakenborchio non inspectis *Vicumvias* sive *Vicumvias* reperisset, scribendum esse suspicatus est. Postea Phil. Rubenius, cui editores obsecuti sunt, Elect. II, 3. p. 49. hic *Victumviis* et infra cap. 57. *Victumvias* reponendum censuit. Strothius autem, quem cum Baumgarten-Crusio ita secutus sum, ut hic coll. Strab. V, 1. et Plin. H. N. XXXIII, 4. ubi pro *Ictimulorum* in cod. Bamb. *Victumularum* legitur, quod in *Victumviarum* mutari nolim, *Victumulis* scriberem, recte cum Cluverio hunc locum a *Victumviis* diversum fuisse existimavit. — 4. *instare*] „*inspectare.*“ Sic Lov. 1. et Hav. cum aliis iisque optimis. Nihil tamen quicquam mutandum.

Cap. XLVI, 6. *deinde*] „delenda vox *deinde.*“ Cave ne sequaris. Flor. et Cant. *dein,* quod Gronovius recepit, ceteri omnes *deinde* offerunt. — 7. *iam magna ex parte anceps pugna erat*] „ista omnia sunt delenda.“ Minime vero. Optime enim Gronovius ex corrupta cod. Put. scriptura *iam magna ex parte addes pugna vierat,* Livio restituit: *iam magna*

ex parte ad pedes pugna ierat, vel *venerat.* Hoc Baumgarten-Crusius et Bekkerus iuxta mecum praetulerunt. Similiter Liv. II, 46. *pugna iam in manus, iam ad gladios, ubi Mars est atrocissimus, venerat.* Cic. in Verr. V, 11. *res venit ad manum.* Plutarch. Sertor. cap. 19. *Γενομένης δὲ τῆς μάχης ἐν χερσίν.* Ceterum cf. Liv. XXII, 47. ubi pugna huic simillima describitur. — * 10. *servum*] „*Servium.*" Haec Lipsii coniectura per se quidem non displicet. Obstat tamen, si quid sapio, nomen Romanum homini Ligustino inditum. Neque probabile est, unum ex Liguribus, perpetuis populi Romani hostibus, qui Poenum, ut Livius XXII, 33. ait, opibus auxiliisque suis iuvissent, in castris Romanis militasse. At servum natione Ligurem ab latere consulis fuisse, cur negem, non reperio. Certius est, Matthiaeum Liv. XXIV, 5. *calonem*, quum iam Strothius *Calonem* edidisset, et ante eum Olivierius ad Valer. Max. III, 3. ext. 5. ita scribendum censuisset, recte in *Callonem* mutasse atque huius mutationis optime rationem reddidisse in libello, qui inscribitur: *Bemerkungen zu den Livianisch-Polybischen Beschreibungen der Schlacht bey Cannae und der Belagerung von Syrakus. Frankf.* 1807. p. 14. cui Walchius Emendatt. Liv. p. 183. nobiscum adstipulatus est. Bekkerus autem horum omnium ignarus Coetierio, qui in notis Graevii ad Sueton. Vitell. cap. 12. *per Gelonem quemdam* legendum esse coniecit, hanc emendationem a Baumgarten-Crusio quoque receptam falso tribuit. — Ibid. *Malim*] „*Malimus.*" Sic Lov. 1. et Hav. aliique. — Ibid. *servum*] „*et.*" Pro *servum fama obtinuit*, quod olim edebatur, *et fama obtinuit* ex codicibus optimis et ed. Iunt. restituit Gronovius adstipulatus Lipsio, qui Epist. Quaest. I, 3. haec adnotavit: „*servum fama obtinuit*] Certe falsum. Communis enim fama de filio, non servo: et ita scriptores praeter Coelium. Bene igitur mss. *tradidere auctores set fama:* si tamen ablegata littera ad priorem syllabam legas, *et fama.*" Lipsius igitur iam tum, quum codicem Cuiacianum sive Lov. 1. nondum accepisset, versabat codices, qui *auctore sct fama* vel *auctores set fama* offerrent.

Cap. XLVII, 5. *periti*] „*peritis.*" Sic Lov. 1. idemque Gronovius ex Put. aliisque recepit. — Ibid. *vix fecerint*] „interponendum *fidem.*" Hoc vocabulum, quod Lipsio Lov. 1. et Hav. obtulisse videntur, Gronovius ex iisdem, quos paullo ante secutus est, codicibus inseruit. — * 6. *Magone equites*] „inserenda vocula *et.*" Quam cur Lipsius, nisi forte ea respexerit, quae supra leguntur: *Magonem cum equitatu et Hispanis peditibus flumen extemplo transnasse*, invitis codicibus interponendam censuerit, exputare nequeo.

Cap. XLIX, * 3. *Messana*] „vet. lib. *Messena.*" Haec scripturae diversitas, de qua Tzschuck. ad Pomp. Mel. II, 7, 16. Vol. II. Part. II. p. 567. conferas velim, ab aliis in nullo codice inventa est. — 6. *rex Messanae Aemilio*] „*Messanae* delendum." Imo scribendum *rex M. Aemilio*, quod Crevierius et Drakenborchius auctore Gronovio ex codicibus optimis receperunt. — * 7. *et circa*] „alii *ex.*" Similiter Turnebus Adverss. XXVII, 11. legendum esse censuit: *Extemplo e circa praetorem*, ut sit, ex iis, qui circa praetorem erant. Haec aliis placeant. Praestat haud dubie, quum *circa praetorem ad civitates*, id quod Raschigius Strothium secutus fieri posse existimavit, pro *ad civitates circa praetorem* poni nequeat, ex Sigonii coniectura, quam recentior, sed et ipsa admodum antiqua cod.

Flor. scriptura confirmat, cum Strothio reponere *circa a praetore*, quod Baumgarten-Crusius mecum admisit. Idem Wolffius probavit. — Ibid. *ad apparatum*] „melius *apparatum*." Sic Lov. 1. et Hav. cum pluribus aliis. Recte tamen Drakenborchius monuit, praepositionem *ad* a prima vocabuli *adparatum* syllaba esse interceptam. Wolffius *ante omnia Lilybaeum teneretur paratum bello*, legendum esse coniecit. — Ibid. *deferrent: ubi*] „veteres interserunt *et*." Sic Lov. 1. et Hav. aliique complures. Reiiciendam esse copulam, ex ultimis literis verbi praecedentis *deferret* sive *deferrent* natam, Drakenborchius docuit. — 8. *ne quid*] „melius *ne quis*." Illud Lov. 1. et Hav. aliique codices offerunt, hoc iam Sigonius in orationis contextum recepit, Drakenborchio adstipulante.— Ibid. *perque omnem oram qui erant*] „delendum *erant*." Hoc in Hav. aliisque longe melioribus omittitur. Vulgatum defendit Walchius Emendatt. Liv. p. 89. cui Wolffius recte adversatus est; ita tamen, ut Gronovium secutus *qui* in *uti* mutandum esse censeret. Nos Baumgarten-Crusio obsecuti in minore Livii editione, omisso *erant*, restituimus codicum Put. Flor. et Cant. aliorumque lectionem: *perque omnem oram*, sc. *missi*, *qui ex speculis prospicerent* etc. Hanc Bekkerus quoque recepit, Raschigius autem, invito haud dubie Bekkero, ita interpretatus est, ut *qui* pro *aliqui* vel *quidam*, quod Doeringius T. Fabro sublectum Livio per soloecismum obtrusurus erat, positum esse existimaret.

Cap. L, 3. *manus*] „*navis*." Sic Lov. 1. et Hav. cum ceteris ad unum omnibus. Recte igitur Gronovius hoc illi substituit. — *5. *DCC*] „lib. vet. *CC*." Notam *d*, id est *quingenti*, a praecedenti *et* ablatam esse apparet. Haec quoque scripturae diversitas in ceteris codicibus non inventa est. — *10. *Lilybaeorum*] „*Lilybaeum*." Imo *Lilybaeo*, quod Gronovius ex melioribus reposuit. Pyndenius hic quoque errasse videtur. — Ibid. *esse: quibusdam*] „vet. lib. interserunt voculam *et*." Sic Lov. 1. et Hav. aliique complures. Idem Gronovius restituit.

Cap. LI, *1. *Melitam*] „alii ambigunt, num *Mitelene* sit scribendum." Vide, ne Pyndenius *Mitelene* pro *Meliten* posuerit. Nam *Mitylenen* sive potius *Mytilenen* scribi non posse, apparet et exstat. — *5. *excursio*] „alii *extentio*, melius *exscentio*, qua dictione ipse Livius in aliis libris utitur." Neque hoc, quod Pyndenius pro *exscensio* posuisse videtur, neque illud in codicibus hactenus collatis reperitur. In Lov. 3. tamen *extensio* legitur, et in Lov. 1. *exscensio*, quod Gronovius, nisi fallor, tacite recepit, exstare videtur. Et Lipsius ipse, priusquam codicem Cuiacianum sive Lov. 1. accepisset, Epist. Quaest. II, 20. haec adnotavit: „Liber ms. *exscensio hostium*. Germanum et familiare de egressu navium Livii verbum;" ibidemque Liv. XXII, 31. *exscensiones* pro *descensiones*, et XXVII, 5. *exscensionem* pro *excursionem* scribendum esse, recte monuit.

Cap. LII, 2. *recentis*] „vet. *recens*." Sic Hav. cum solo Hafn. Ceteri vulgatum servant. De genitivo *animi* adiectivis relativis addito vid. Boetticheri Lex. Tacit. p. 213. sqq. atque Cort. et Kritz. ad Sallust. Iug. cap. 55, 4. — 6. *consulem*] „melius iudicio D. I. Lypsii *Coss.*" Codices nihil mutant. Idem tamen Drakenborchio quoque placuit. Scripturae compendium *cos.* librariis saepe fraudi fuisse constat. Vid. praeter Drakenborch. ad Liv.

X, 20, 2. nostram Epist. ad Orell. p. 36. et quae ad Liv. XXXI, 8. et XXXIII, 25. adnotabimus. — 7. *obsolevissent*] „alii *absolevissent.* Utraque lectio proba." Lov. 1. *obsolvissent,* Hav. *absolvissent,* sed Flor. et Cant. *absolevissent,* quod, quum verbum *absolescere* apud classicos scriptores frustra quaeratur, admitti nequit. — 10. *oneratosque*] „*ad hoc graves* alii legunt." Lov. 1. cum Put. aliisque *ad hoc caravis praeda;* Hav. corruptius etiam *caussa praedae,* verbis *ād hoc* omissis. Sed Lipsius ipse, priusquam codicis Cuiaciani sive Lov. 1. copia esset facta, Epist. Quaest. I, 12. haec adnotavit: „In mss. *incompositos ad hoc caravis praeda.* Livii germana lectio erit *incompositos, ad hoc graves praeda.* Nam antiqui librarii *C* pro *G.*" Vide, quae supra ad cap. 26, 6. adnotavimus. Lipsium secuti Gronovius *ad haec graves praeda,* et Drakenborchius *ad hoc graves praeda* ediderunt. — Ibid. *inopinantes*] „*inopinatos* lib. manusc." Sic Lov. 1. cum ceteris, quos Gronovius et Drakenborchius secuti sunt, excepto Hav. in quo *inopinantes* legitur. Liv. XXXIV, 13. in cod. Bamb. quoque *inopinantis* pro *inopinatos* reperitur. Similiter *palatos* et *palantes* permutari, Lipsius ad Liv. I, 11, 1. monuit. — *11. *sequentes*] „*sequente.*" Lipsius igitur sive ex codice nescio quo protulit, sive coniectura praecepit, quod Iac. Gronovius, quem cum Clerico, Strothio et Baumgarten-Crusio secuti sumus, vulgato substituendum esse suspicatus est. Idem Walchius Emendatt. Liv. p. 169. et Wolffius adsensu comprobaverunt. Benedictus contra *Observatt. ad quaedam Livii loca, Torgaviae,* 1800. p. 4. nihil mutandum, sed totum locum parum probabiliter ita interpungendum censuit: *Varia inde pugna; sequentes quamquam ad extremum aequassent certamen, maior tamen hostium Romanis fama victoriae fuit.* Bekkerus autem de Franc. Sanctii et Fr. Gronovii sententia edidit: *Varia inde pugna cedentes sequentesque* etc. quod, quum copula *que* vocabulo *sequentes* in cod. Put. adiecta, id quod Wolffius recte monuit, ex sequenti *quamquam* oriri potuerit, recipere nolim. — *Ibid. *aequassent*] „*aequasset.*" Quod quum ad nomen *pugna* referri nequeat, sed ad vocabulum *pugnantes* pertineat, vulgato non praeferendum esse apparet. Liv. XXIX, 34. *mox plures simul conferti porta effusi aequaverunt certamen.*

Cap. LIV, 1. *ad equites quoque tegendos*] „*equiti quoque tegendo.*" Lov. 1. et Hav. cum Flor. et Cant. aliisque *equites quoque tegendo,* quod Bekkerus recepit. Nos illud ipsum, quod Lipsius ex codice nescio quo protulisse videtur, cum Strothio et Baumgarten-Crusio non sine libris vulgato substituimus. Utrum praestet, alii viderint. — 3. *praeconium*] „lib. vet. opt. habent *praetorium.*" Sic Lov. 1. et Hav. cum ceteris ad unum omnibus. Recte igitur Lipsius de Milit. Rom. V, 2. de hoc loco: „Ego vero, inquit, non admitto in Romana aut Punica militia *praecones,* etsi Graecos habuisse probe scio: magisque accedo veteribus libris, in quibus constanter repperi *praetorium missum*: et quis non probet?" Lipsii emendationem codicum consensu firmatam omnes, ut par est, inde a Gronovio editores admiserunt. — 6. *ad destinatum locum*] „delenda vox illa *locum* et ponenda inter duo ista verba *consilio locum avidus.*" Vocabulum *locum,* quod in codicibus interponi Arntzenius ad Aurel. Vict. cap. 47, 4. falso perhibet, Drakenborchius recte expunxit, quia Sempronius, ut ait, de loco pugnae nihil statuere potuit, utpote artibus Hannibalis in eum protractus.

Neque opus est, ut, quum *ad destinatum* absolute dicatur, auctore Gronovio scribas: *ad destinatum iam ante consilio avidus certamen eduxit.* — 8. *appropinquabat*] „*appropinquabant.*" Sic Lov. 1. cum optimis codicibus. Quapropter iam Gronovius hoc illi recte praetulit. — 9. *essent*] „alii *esset.*" Illud, quod Lov. 1. aliique melioris notae codices offerunt, auctore Valla recte in orationis contextum est admissum. — Ibid. *et simul procedente*] „lib. manusc. interserunt voculam *lascitudine.*" Imo *lassitudine.* Hoc vocabulum Drakenborchius, quum Gronovius, particula *et* omissa, ex coniectura *simul ieiuni, procedente iam die* edidisset, ex Hav. et duobus aliis eiusdem farinae codicibus restituit. Verum tamen et ipse de huius lectionis sinceritate dubitavit. Non male Vossius, dummodo *essent* retinuisset, totum locum ita refinxit: *ut vix armorum tenendorum potentia esset, simul lassitudine, et, procedente iam die, fame etiam, deficere.* Bekkerus autem, nihil monito lectore, edidit: *ut vix armorum tenendorum potentia essent, et simul lassitudine et procedente iam die fame etiam deficere.*

Cap. LV, 2. *peditem*] „20 millia." Haec Lipsius adnotavit ex Polyb. III, 72. *περὶ δισμυρίους ὄντας τὸν ἀριθμόν.* — 4. *Duodeviginti millia*] „Polybius 16 millia dicit." Is enim ibidem: *ὄντας τοὺς μὲν Ῥωμαίους εἰς μυρίους ἑξακισχιλίους.* Pyndenius falso scripsit *Polibius,* quod Ebertus tacite correxit. — 6. *et fessi Romani plerisque integris Poenis*] „voculae istae duae *Romani* et *Poenis* non sunt necessariae." Omittuntur in Lov. 1. et Hav. ceterisque, excepto Lov. 3. qui *Poenis* servat. Propterea Gronovius recte delevit. Similiter infra cap. 56, 8. ab interprete invecta sunt vocabula *Romanorum* et *Poeni,* quae Drakenborchius exterminavit. Dubites igitur, num Liv. XXXII, 30. nomina *Gallorum* et *Insubrium* ex cod. Bamb. recte inseruerim, et XXXIV, 9. nomen *Hispani* ex codd. Bamb. et Mog. recte restituerim. Baumgarten-Crusio haec omnia suspecta fuerunt; Bekkero non item. Certius est, Liv. XXXIII, 24. *ab rege Philippo* pro *ab rege,* cap. 36. *M'. Acilius Glabrio,* quod Goellerum et Bekkerum praeteriit, pro *M'. Acilius,* et *ubi Marcellus animadvertit* pro *ubi animadvertit,* cap. 42. *L. Valerius Flaccus* pro *L. Valerius,* cap. 47. *quum Carthaginem venissent* pro *quum venissent,* cap. 48. *naves aliquot Phoenicum onerarias* pro *naves aliquot onerarias,* et cap. 49. *profectum iam regem in Asiam,* quod Goellerum et Bekkerum itidem praeteriit, pro *profectum iam regem* ex cod. Bamb. esse reponendum. Ceterum haec in memoriam revocant locum Liv. XXIV, 44. ubi, quum urbis nomen, quod in verbo *tactae* latere Drakenborchius existimavit, a vocabulis *erant* et *murus* interceptum esse videatur, facillima pariter ac certissima, nisi coniectura fallor, emendatione scribendum: *Antii murus et portae tactae.* Quam facile enim hoc nomen, quum olim haud dubie *anti* pro *antii* esset positum, a librariis potuerit omitti, non est, opinor, quod operosius demonstrem. Antium autem et Ariciam vicinas admodum Latii urbes fuisse constat; easque tum eadem tempestate adflictas esse, cur negemus, non reperio. — 8. *restitissent tamen animis*] „*animis* delendum." Quo iure id fiat, non video; praesertim quum hoc vocabulum in solo Hafn. sit omissum. Romani enim pediti cominus pugnanti pares erant animis, Balearibus autem eminus in latera iaculantibus et elephantis in mediam peditum aciem sese inferenti-

bus impares. Lipsius haud dubie existimavit, vocabulum *animis* ex praecedentibus: *Pedestris pugna par animis magis, quam viribus erat,* ab interprete huc esse relatum. — 9. *simul*] „pro *simul atque*." Recte. Vid. Drakenborch. ad Liv. VI, 1, 6.

Cap. LVI, * 1. *Trepidanteis, propeque iam*] „*iamque prope*." Hoc ab illo, quod, quum in ed. Ascens. primum comparuisset, ab Iac. Gronovio ex codicum et editionum antiquiorum fide in *Trepidantesque prope iam* etc. mutatum, sed a Crevierio, cui, licet Drakenborchius in solo Lov. 3. reperisset, cum Lallemando, Doeringio, Baumgarten-Crusio, Bekkero alisque obsecuti sumus, revocatum est, non nisi verborum positura differt. Lipsius non tam codicis alicuius auctoritatem, quam coniecturae probabilitatem secutus esse videtur. — *Ibid. *media acie*] „*a media acie*." Gronovius, cui Crevierius et Lallemandus accesserunt, praepositionem *e* excidisse, Rupertius vel *a media acie*, quod Lipsio quoque placuit, vel *media ab acie* scribendum esse suspicatus est. Malim praepositionem cogitando suppleri. — 2. *in orbem utrinque pugnarent*] „*utrinque* delendum." Hoc vocabulum in Lov. 1. et Hav. ceterisque, excepto Pal. 3. in quo *utrique* legitur, omnibus omissum iam Gronovius delevit. Certe *undique* scribendum foret. Sed hoc quoque, quippe superfluum, Liv. IV, 39. et XXVIII, 22. non additur. — 6. *consumpsit*] „*absumpsit*." Sic Lov. 1. et Hav. cum plerisque omnibus. Hoc iam Sigonius pro illo reposuit. — *7. *hostis*] „*hostes*." Neque hoc illi substituendum, neque vulgatum *hostis* pro *hostes* positum esse arbitror. Vid. Drakenborch. ad Liv. XL, 49, 1. — 8. *praesidium Romanorum castrorum*] „delenda vox *Romanorum*." Hoc vocabulum in Lov. 1. post *castrorum* positum, sed in Hav. ceterisque melioribus omissum, pariter ac nomen *Poeni,* in quo Lipsius non offendisse videtur, Drakenborchius de Gronovii sententia expunxit. Vide, quae supra ad cap. 55, 6. adnotavi.

Cap. LVII, 5. *vagantibus — Lusitanisque*] „hunc locum Glareanus fatetur se non intelligere. D. I. Lipsius explicat, et dicit *Celtiberis Lusitanisque peditibus vagantibus*." Lipsius igitur veram horum verborum sententiam perspexit ante Turnebum, qui Adverss. XXVII, 11. „Puto, inquit, Livium dicere: quae infesta reddere popularique non potuerint Numidae, quod impedita essent equiti et inaccessa, ea ipsa Celtiberos et Lusitanos, qui assueti erant aspera et montana percursare, pervagatos esse atque populatos." Accessit ei Gronovius, qui, ut apertior esset loci sententia, editionum antiquarum lectionem *et quae* recte in *et qua* mutavit. Drakenborchius quidem: „Ad optimorum, inquit, codicum lectionem *et queque* propius accederet *atque*, *quae his inpeditiora erant*." Sed *quae* non habet, quo referatur. — *oppugnandi*] „*expugnandi*." Hoc ex Iac. et Ant. Perizonii coniectura cum Lallemando recepi, Bekkero adstipulante. Nunc Lipsii auctoritas accessit. Wolffius vulgatum Perizoniis recte displicuisse praefatus: „Mihi tamen, inquit, *occupandi* melius in eos quadrare videtur, qui omnem in improvisa irruptione spem posuerant." Haec verba a librariis permutata esse non memini. — * 7. *consul*] „*Scipio cos*." De P. Scipione, quum T. Sempronius Romam ad habenda comitia profectus esset, hoc intelligendum esse, iam Glareanus recte adnotavit. Atque hoc ipsum, nisi fallor, Lipsius quoque significaturus, neque vero, id quod Ebertus, qui adnotationem ad hunc locum ita conformavit: „*consul aderat*] „*Scipio*

consul aderat." sibi persuasisse videtur, Scipionis nomen in omnibus omnino codicibus omissum additurus erat.

Cap. LVIII, 8. *levata*]. „lib. manuscripti habent *levato.* Lypsius emendat *levatis.*" Lov. 1. et Hav. cum aliis et editionibus antiquis *levato*, cui iam in Frob. 1. vulgatum est substitutum. Quod quo iure Lipsius in *levatis* mutandum et ad Poenos vento sublatos ita referendum esse censuerit, ut *aqua frigore concreta vento sursum levatis nivosam grandinem deiecisse* dicatur, quum vel propter insolentiorem verbi *deiicere* structuram commode explicari nequeat, me non intelligere fateor. Pyndenii error hic latere videtur. — Ibid. *cacumina*] „vet. lib. *iuga*, sed utraque lectio proba." Put. et Reg. cum Flor. et Cant. *iuga;* Lov. 1. et Hav. cum ceteris *cacumina*, cui Gronovius illud recte substituit.

Cap. LIX, 3. *perculsos*] „vet. lib. manusc. *pulsos.*" Sic Lov. 1. et Hav. cum aliis iisque optimis, quorum auctoritate Gronovius recepit. — 6. *de his*] „*mediis.*" Hoc a Lipsio non in codicibus inventum, sed coniectura repertum esse, ipse profitetur Epist. Quaest. I, 20. ubi: „Quid est, inquit, *de his castris?* Nihil iuvant libri. Audacter tamen legendum adfirmo, *ipse mediis castris.* Nam ita Livius rem narrat superius, *Annibal, paucis propugnatoribus in vallo portisque positis, ceteros confertos in media castra recepit.*" Vossius maluit *e mediis castris,* addita praepositione, quam cum Strothio et Bekkero Lipsium secuti in minore Livii editione omisimus. Baumgarten-Crusius autem, in cuius adnotatione pro *Gronovii* ponas *Lipsii,* lectionem *medius* a Gronovio ex coniectura repositam cum Crevierio et Drakenborchio minus recte retinuisse videtur. Wolffius enim, quemadmodum mihi persuadeo, Lipsio adstipulatus verissime: „Gronovianum *medius*, inquit, et ipsum bonum est, sed minus facile ex librorum vestigiis eruitur." Quippe hi, syllaba *me* a praecedenti *robore* intercepta, *diis, de iis* et *de his* offerunt. Dispar est ratio loci Liv. XXII, 18. *Fabius medius inter hostium agmen urbemque Romam iugis ducebat,* ubi Drakenborchius recte, id quod ipsa verborum collocatio docet, pro *mediis* de Gronovii sententia ex cod. Pet. *medius* recepit. Vid. Adnotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 96. Ceterum similiter corruptus esse videtur locus Tacit. Annal. IV, 57. ubi pro *tandem Caesar in Campaniam*, quum Crollius, ut aliorum coniecturas taceam, vocabulum *tandem*, quod praecedenti *diu* respondet, temere in *tendit* vel *tendere* mutandum censuerit, *tandem Caesar abiit Campaniam* scribendum esse suspicor. Nam *IIT,* syllaba *AB* a praecedenti nomine *CAESAR* absorpta, facile in particulam *IN* a Tacito omitti solitam mutari potuit. — 7. *et cum*] „pro *et cum, ea.*" Haec Pyndenius, quum Lipsium *ea* pro *et cum* reponi voluisse, non probabile sit, parum accurate excepisse videtur. Valla enim, quum antea *pugna raro magis ulla ea, et cum utriusque* etc. vel *pugna raro ulla magis ea et cum utriusque* etc. ederetur, hunc locum ita correxit, ut scriberet: *pugna raro ulla magis saeva, et cum utriusque* etc. quod in ed. Mediol. receptum omnes retinuerunt editores usque ad Bekkerum, qui ex Gronovii coniectura scripsit: *pugna raro magis dubia et cum utriusque partis pernicie clarior fuisset.* Wolffius autem: „Corrigendi conatu, inquit, supersedere posse videmur, si librorum lectionem *magis ulla ea cum utriusque*, seu Florentinam, deleto *cum*, *magis ulla ea utriusque*

retinuerimus." Locus nondum persanatus esse videtur. — * Ibid. *extendi a die*] „*extendere eam dies.*" In Eberti exemplo, quum Pyndenius verbum *extendere* ita scripserit, ut ultima eius litera ad *o* literae similitudinem proxime accedat, perperam *extendere* legitur. Neque tamen a Lov. 1. aliorumque codicum optimorum scriptura *extendi eam dies*, quam Gronovius recepit, discedendum videtur; praesertim quum in Hav. aliisque *extendi ea dies* legatur, omissa lineola pro litera *m* poni solita. Eo magis miror, Lipsium *extendi* in *extendere* mutasse. — Ibid. *quivisset*] „*scivisset.*" Imo *sivisset*, quod a Lipsio coniectura repertum Pyndenius miserrime corrupit. Drakenborchius enim: „Nihil propius video, inquit, quam ut cum Gronovio legamus *si extendi eam dies in longum spatium sivisset*, vel *sisset.*" Hoc restitui Liv. XLV, 44. ubi pro *munera sibi ipsum emisse*, quum in cod. Vindob. *munera sibi ipsi eminō si esse* exstare didicissem, certa emendatione scripsi: *munera sibi ipsi emi non sisse*, quod Baumgarten-Crusius aperte, Bekkerus tacite probavit.

Cap. LX, * 3. *Lacetanis*] „vel *Iiacetanis.*" Pariter infra cap. 61, 8. nomini *Lacetanos* adscriptum: „vel *Iiacetanos.*" In Eberti exemplo, quum Pyndenius literam *I* ita effinxerit, ut ad *ſ* literae similitudinem proxime accedat, hic *Siacetani* et infra *Siacetanos* legitur, quos non solum in Hispania, sed etiam in ceteris antiqui orbis partibus frustra quaeras. Rectius tamen, si quid mutandum, hic *Iaccetanis* et infra *Iaccetanos* scriberetur. Vid. Ukerti Geograph. Graec. et Rom. Tom. II. Part. I. p. 316. sq. 421. et 425. — 5. *Hanno non inscius erat*] „*Hannoni cis Iberum provincia erat.*" Hoc illi, quod editores Moguntini induxerant, Gruterus ex Pal. 2. substituit. Lov. 1. *Hanno non inscius Hiberum provincia erat,* Hav. *Hanno non inscius inhiberi provincia erat.* Alii alia monstra progenuere. Gronovius tandem, quum in cod. Put. *Hannonis* reperisset, ed. Mog. lectione damnata, *Hannonis cis Iberum provincia erat*, quod iam Sabellicus in corrupta editionum antiquissimarum lectione: *Hanno noniscis Iberum in provinciam erat,* vel *in provincia erat*, latere intellexerat, ex editionibus Sabellici emendationem secutis iure meritoque revocavit. — 7. *cum aliquot praesidiis*] „lib. optimus Cuiacianus *principiis.*" At Drakenborchius ex eodem sive Lov. 1. enotavit *principibus,* quod Gronovius restituit. Putaverim igitur, Pyndenium hic quoque errasse, et, quum *praesidiis* eius oculis obversaretur, perperam scripsisse *principiis,* quod in Put. et Flor. a prima manu atque in Exc. Pithoei reperitur. — Ibid. *Stissum*] „*Scissum.*" Illud editores Moguntini dederunt, hoc in Pal. 2. et Harl. atque editionibus Moguntina antiquioribus legitur. Lov. 1. *Scissis*, quod Gronovius codicum plurimorum eorumque optimorum auctoritate recepit, Hav. autem *Sciscis* offert. Vid. Ukerti Geograph. Graec. et Rom. Tom. II. Part I. p. 425.

Cap. LXI, 4. *paululum*] „I. Lypsius *palam* emendat." Idem iam Epist. Quaest. I, 12. „Quid est hoc, inquit, *paululum animadvertisset*? Non sic Latini: dixisset potius *leviter, modice, clementer*. Quid, quod et historia repugnat? Nam Polybius eandem rem tangens lib. III. [cap. 76.] auctores fugae et acceptae cladis more patrio ait punitos, *τοὺς αἰτίους τῶν συμβεβηκότων,* inquit, *κατὰ τοὺς παρ᾽ αὐτοῖς ἐθισμοὺς κολάσας.* Nec ignotus in talibus delictis militiae mos. Planissime igitur scribendum *palam animadvertisset.*" At

enim multo rectius postea Gronovius, quum in cod. Put. *PAUIUM* reperisset atque hoc in *paulum* et *paululum* abiisse perspexisset, coll. Liv. XXIII, 26. invidenda sane et palmaria emendatione *praefectos navium* reposuit. Cave tamen existimes, literas *N* et *P* hic quoque, ut Liv. V, 5, 3. ubi pro *voluptas* in duobus codicibus *voluntas* legitur, a librariis esse permutatas. Imo librarius, qui cod. Put. exaravit, quum *praefectos* scripsisset, primam huius vocabuli literam pro prima vocabuli *navium* litera posuit, et, ne codicem litura deformaret, errorem non correxit. Vid. Drakenborch. ad Liv. II, 34, 9. — 6. *hostis cis Iberum Tarraconem versus cedit. Agros*] „*toto cis Iberum agro cedit.*" Vocabulum *Agros*, quod in ed. Lugd. aliisque legitur, in Eberti exemplo perperam omissum est. Lov. 1. cum aliis offert: *stoicosis Iberum rursus cedit agros*, cui monstro litera *s* ex praecedenti *hibernis* et sequenti *Scipio* adhaesit, Hav. *toto Iberum rursus cedit agro*, vocula *cis* omissa. Quare mireris, Lipsium non maluisse: *toto cis Iberum rursus cedit agro*, quod, quum ed. Ascens. *hostis cis Tarraconem Iberum rursus redit. Agros* etc. ed. Mog. cum Frob. 1. 2. *hostis cis Iberum Tarraconem versus cedit*, *agros* etc. et ed. Colon. a. 1525. peius etiam, vocabulo *versus* vel *rursus* omisso, *hostis cis Iberum Tarraconem cedit. Agros* etc. exhibuissent, Sigonius Livio restituit, et Drakenborchius, quum Gronovius *rursus* in *rursum* mutasset, recte revocavit. Pyndenius hanc quoque Lipsii emendationem temere pervertisse videtur. — Ibid. *relictos*] „*relictam.*" Hoc, quod Sigonius certissima coniectura ductus illi substituit, Ebertus praetermisit. — * Ibid. *Athanagiam*] „*Atanagum.*" Hoc in nullo codice repertum est: proxime tamen accedit *Atanagium* quod in Rec. legitur. Lov. 1. vulgatum, Hav. *Athanagram* offert. Vid. Ukerti Geograph. Graec. et Rom. Tom. II. Part. I. p. 451. — 8. *Ausetanos*] „lib. vet. *Auxetanos.* Ptolomaeus *Anthetanos* vocat." Hic quoque Pyndenius, qui non *Ptolemaeus*, quod in Eberti exemplo legitur, sed *Ptolom.* sive *Ptolomaeus* scripsit, errasse videtur. Recte enim Sigonius supra ad cap. 23. „Quos vocat Livius *Ausetanos*, inquit, eos Ptolemaeus [II, 6.] Αὐθητανοὺς nominat." Ceterum Lov. 1. *Ansatanos*, Hav. *Ansetanos* et Lov. 3. *Auxetanos*, quod Lipsius *lib. vet.* tribuit. — * Ibid. *Lacetanos*] „vel *Iiacctanos.*" Pyndenius *Iaccetanos* scribere debebat. In Eberti exemplo peius etiam *Siaccetanos* legitur. Vide, quae supra ad cap. 60, 3. adnotavimus.

Cap. LXII, 4. *hastam*] „duo lib. manusc. habent *hostiam*, tertius optimus *hostium.*" Tertius optimus haud dubie est codex Cuiacianus. At Drakenborchius haec adnotavit: „Deinde *hostiam* tantum non omnes codices mei et Hearnii D. servant. Recte tamen pro eo *hastam* Sabellicum substituisse puto. Vid. infra ad XL, 19, 2." Utrum igitur Lipsius an Drakenborchius, quum tanta sit vocabulorum *hostiã* et *hostiũ* similitudo, in enotanda cod. Cuiac. sive Lov. 1. scriptura erraverit, ad liquidum confessumque perduci non potest. Maiorem tamen Lipsio fidem habuerim. — 5. *species*] „lib. vet. *specie.*" Hoc in Lov. 1. illud in Hav. legitur. — Ibid. *visas*] „*visos* lib. vet." Sic Lov. 1. et Hav. aliique. Ed. Ascens. *deos multis locis hominum specie procul candida veste visos*, quod in edd. Mog. Colon. Frob. 1. aliisque ita mutatum est, ut *deos* omitteretur. Hoc Drakenborchium praeteriit. In Frob. 2. demum comparuit: *multis locis hominum species procul candida veste visas*, quod Grono-

vius, licet Livius XXIV, 10. *Hadriae aram in coelo, speciesque hominum circa eam cum candida veste visas esse*, memoriae prodiderit, ita correxit, ut *specie* et *visos* revocaret. — Ibid. *extenuatas*] „I. Lypsius corrigit *exteniatas*. vide I. L. [id est *Iusti Lipsii*] Elect. lib. 2.“ Ibi Lipsius cap. 12. de iis, quae hic et infra leguntur, atque Liv. XXII, 1. „Vide omnino, inquit, ne remotius, ut solet in his talibus, vetustiusque verbum fuerit, quod per imperitiam exscribentium mutarit. Ego non improbe id suspicor, et ausim ubique rescribere *extaeniatas sortes*, quod interpretor taeniis vittisque solutas et liberatas.“ Quae quidem Iac. Perizonio Animadverss. hist. cap. 9. p. 389. ed. Harles. in Salmasii sortes imminutas ac minores factas esse statuentis sententiam discedenti iure meritoque displicuerunt. — 7. *edictum*] „*editum*.“ Sic Lov. 1. aliique complures. Recte igitur Gronovius hoc, quod proprium hac de re verbum esse constat, illi praetulit. — *8. *et signum aeneum matronae Iunoni in Aventino aedificaverunt*] „*et signum enium, mansionem, m.* sive *signum aenium dedicaverunt*.“ In Eberti exemplo perperam *et signum enium in ansionem*, sive, *signum aeneum dedicaverunt* legitur. Pyndenium falso *enium* et *aenium* pro *aeneum* posuisse apparet. Lipsius autem, id quod Ebertus non perspexit, ex duplici coniectura vel *et donum ex auri pondo quadraginta Lanuvium Iunoni portatum est, et signum aeneum; mansionem matronae Iunoni in Aventino aedificaverunt*, vel *et signum aeneum matronae Iunoni in Aventino dedicaverunt*, scribendum censuit. Quod quum Phil. Rubenio quoque innotuisset, priore illa Lipsii coniectura, quae vel propterea, quod *mansiones* non diis deabusque, sed hominibus iumentisque aedificari solebant, admitti nequit, tacite improbata, Elect. I, 36. p. 39. verbis: *signum aeneum matronae Iunoni in Aventino aedificaverunt*, haec subiecit: „Belle. Signa scilicet et aereae statuae aedificantur, ut domus ac templa. Ridiculum est, et tamen depravatio ea manifestaria in omnibus adhuc libris. Quin tu lege *dedicaverunt*, et Livium impuri sermonis absolve.“ Hunc Gronovius, quum ex coniectura *Lanuvium ad Iunonis portatum est* scripsisset, et in cod. Put. *edicaverunt* invenisset, recte secutus *dedicaverunt* pro *aedificaverunt* recepit. — 10. *si in decem annos P. R. eodem stetisset statu*] „*Respub.*“ In edd. Ascens. Mog. Colon. et Frob. 1. 2. non *P. R.* sive *populus Romanus*, sed *R. P.* legitur, quod non pro *Romanus populus*, sed pro *res publica* positum esse, iam ante Lipsium Glareanus monuit. Sic Liv. XXII, 9. *si bellatum prospere esset, resque publica in eodem, quo ante bellum fuisset, statu permansisset*, XXX, 2. *si eodem statu res publica staret*, et XLII, 28. *si res publica decem annos in eodem statu fuisset*, ubi in cod. Vindob. quoque, ut alibi, *R. P.* pro *res publica* positum est. Vid. Drakenborch. ad Liv. IV, 26, 8. — 11. *religione*] „lib. vet. *religionis*.“ Sic Lov. 1. cum Voss. Hearnii D. et Hafn. in quo *regionis* pro *religionis* legitur. Atque Lipsius, priusquam codicem Cuiacianum sive Lov. 1. accepisset, Epist. Quaest. IV, 10. de alio codice: „Ibi est, inquit, *levarunt animum religionis*. Nec id mutem. Legi apud nescio quem veterum *levare curarum*.“ Forsitan Lipsio obversabatur Plaut. Rud. I, 4, 27. *ut me omnium iam laborum levas*. Recte tamen Gronovius ad Gellii Noctt. Att. IX, 13. hanc verborum structuram in Livio ferendam esse negavit, et

Drakenborchius, quum antea *levaverant animum religione* et *levaverant animos religione* ederetur, ex codicibus optimis recepit: *levaverant religione animos.*

Cap. LXIII, * 3. *senatoris*] „*senatorius.*" Hoc ipsum, quum Alex. Roellius pro *quive senatoris pater fuisset*, in quo nemo non offendet, *cuive senator pater fuisset*, quod Bekkerus recepit, Strothius coniectura adsecutus edidit: *cuive senatorius pater fuisset*, quod Baumgarten-Crusius iuxta mecum admisit. Nec fecisse poenitebit. Etenim non solum propius, quam Roellii *senator*, ad codicum scripturam accedit, sed etiam Lipsii, quem et ipsum, licet Pyndenius nihil adnotaverit, pro *quive*, quod ferri nequit, *cuive* scribi voluisse, perquam probabile est, auctoritate confirmatur. Wolffius inter utrumque fluctuans: „Aut, inquit, ex Strothii coniectura *cuive senatorius pater fuisset* pro *quive senatoris pater fuisset*, quod sensu destitutum est, aut Alex. Roellio suadente *cuive senator pater fuisset*, esse legendum, omni dubitatione caret." Voculas *cui* et *qui* a librariis permutari, Drakenborchius ad Liv. IX, 34, 14. docuit. — 7. *comitia praetorum*] „*conscientia praeteritorum.*" Hoc illi, quod in ed. Mog. primum comparuit, ex Paulli Manutii coniectura Sigonio probata substituerunt pro codicum plerorumque, in quibus et Hav. esse Drakenborchius adnotavit, et editionum Moguntina antiquiorum lectione *conscientias praetorum*, quam Gronovius emendatione, uti facillima, ita certissima in *conscientia spretorum* mutavit. — * 9. *profectus*] „*profecturus.*" Praeterea interpunctio minima, quam Ebertus omisit, huic vocabulo est subiecta, ut seiungeretur a sequentibus: *in Capitolium ad vota nuncupanda.* Vulgatum tamen, licet Liv. III, 17. legatur: *nec ire in Capitolium consul potuit*, pro *adscendere* sive potius *adgredi*, Lipsii coniecturae non posthabendum esse crediderim. Contra ea Liv. XXXIV, 16. *profecturum etiam*, quum praecedens *ducturum* errorem praebuisse videretur, certissima auguratus coniectura, quam postea cod. Bamb. auctoritate a Goellero neglecta confirmatam esse, in Vann. crit. p. 59. sq. monui, in *profectum etiam* mutavi, quod Baumgarten-Crusius et Bekkerus recte admiserunt. Bekkerus tamen, ut solet, se mihi obsecutum esse, adnotare supersedit. — Ibid. *Capitolium*] „lib. manusc. *Capitolio.*" Sic Lov. 1. et Hav. aliique complures. — Ibid. *paludatus inde ad provinciam iret*] „lib. unus man. interserit vocem, *cum lictoribus in provinciam.*" Hic codex, in cuius scriptura proferenda Ebertus ita peccavit, ut, vocabulo *inde* omisso, *paludatus cum lictoribus in provinciam* poneret, a Lov. 1. et Hav. in quibus verba *cum lictoribus*, a Gronovio ex codicibus optimis restituta, non reperiuntur, haud dubie diversus fuit. Praeterea Bekkerus eorundem codicum auctoritate commotus pro *ad provinciam* tacite quidem, sed recte *in provinciam* reposuit. De re vid. Gronov. ad Liv. XLI, 10, 5. — 15. *in Hetruriam iam per Apennini tramites*] „lib. 3. manusc. non habent vocem *iam.*" Hoc vocabulum, non solum in Lov. 1. et Hav. atque tertio Lipsii codice, sed in ceteris quoque omnibus omissum et ex praecedenti nomine *Etruriam* repetitum, Gronovius recte exterminavit.

CORRIGENDA.

Pag. 21. lin. 7. pro *nta* scr. *nla*, pag. 23. lin. 34. pro III. 1. scr. III. 1. et pag. 24. lin. 17. pro III, 160. scr. III, 60.